De prima Editione huius Synodi Bonardi vide in calce, et in Synodo Vincentini pag: 6.

In Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ
TRINITATIS
Patris, & Filij, & Spiritus sancti
Amen.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES, & Decreta Diæcesanæ Synodi Hieracensis,

Quam Nos *
F. VINCENTIVS BONARDVS, DEI, Apostolicæ Sedis Gratia eiusdem Episcopus, de cōsilio, & assensu Reuer. Capituli, totiusq; Cleri habuimus die 11. Maij 1593.

Confirmat hanc Synodum in Synodo Vincentini pag: 6

* Ord. Praed. hic Auctor est opusculi ... Agnus dei.

(✠)

PRO FIDE CATHOLICA profitenda. *Tit. I. Cap. I.*



N FIDEI Catholicę obsequium, quę totius iustificationis nostræ initium est, & radix, intellectum submittere cupientes, operepretium esse duximus ab illius vera confessione incipere, & supra firmissimam fidei petram, quæ pro morum moderatione, excessuum correctione, controuersiarum compositione, nobis in hac synodo tractanda sunt,

Cōcil. Trident. sess. 6. cap. 7. & 8.

Sess. 24. c. 2. de ref.

ſunt, ædificare. Vt igitur corde credamus ad iuſtitiam, ore verò cofiteamur ad ſalutem, ſicut docet Apoſtolus, & idipſum dicamus omnes, nec ſint in nobis ſchiſmata, fidei profitendæ formam, quam in ſua Conſtitutione fel. rec. Pius Papa Quartus tradidit, ſubijcimus, atque proponimus.

Roma.10.b.

Incipit iniunctum nobis.

FORMA PROFESSIONIS FIDEI.

EGO N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus

eſt

eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas,& Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector; item ſacrã Scripturam iuxta eum ſenſum, quẽ tenuit,& tenet Sancta Mater Eccleſia (cuius eſt iudicare de vero ſenſu,& interpretatione ſacrarum Scriptutarum) admitto, nec eam vnquam, niſi iuxtà vnanimem conſenſum. Patrum accipiam, & interprætabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto D. N. inſtituta, atque humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum,Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque,& approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector,& recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter,&

 ſub-

ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum ſumi, verumque Sacramentum. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vna cum Chriſto regnantes venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omniũ Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris canonibus, & œcumenicis concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, & declarata indubitanter recipio, atq; profiteor, ſimulq; contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc ve-

ram Catholicam Fidem, extra quàm nemo saluus esse potest, quam in pręsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam vsq; ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Cap. II.

SVb hac verborum forma, & non alia Fidem Catholicam profitebuntur in manibus nostris, vel nobis impeditis coram generali Vicario nostro omnes in hac nostra Diœcesi ad curam animarum assumpti, idque intra duos menses ad minus, à die possessionis adeptæ, qui etiam in Romanæ Ecclesiæ obedientia se perpetuò manere, suisque in beneficijs residere curabunt. Profitebuntur etiam omnes de dignitatibus, & de canonicatibus non solum in Cathedrali, sed in quauis alia collegiata prouisi, & ij non solum coram nobis, vel Vicario nostro id facient, priusquam possessionem adipiscantur dignitatum, seu canonicatuum, verum etiam in Capitulo in ipso possessionis adipiscendæ actu. Insuper omnes quaruncumque artium, & scientiarum doctores, nec non ludi magistri, qui de cætero nec scholas aperire, nec lectiones in Diœcesi nostra inchoare audeant, antequam professi fuerint, idq; sub pœnis

Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.

Sess. 5. c. 1.

in Pij

Incipit, in Sacramẽta. in Pij Quarti felic. record. conſtitutione contentis, alijſque arbitrio noſtro infligendis.


Cap. III.

QVia verò ſummopere optandum eſt, vt fides Catholica augeatur in nobis, eademque ſemper illibata permaneat, pręſertim verò augeatur verbi Dei prędicatione; nam, vt inquit Apoſtolus fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. curabunt Parochi, cæteriq; animarum curam habentes, ſingulis dominicis, alijſque feſtiuis diebus, & præſertim magis ſolemnibus populo, ſiue intra Miſſarum ſolemnia, ſiuè aliquo alio opportuniori tempore aliqua de Cathechiſmo Romano proponere, fideique rudimenta iuxta illius interpretationem docere. Poterunt etiam Euangelium exponere, ſeu homilias, & ſermones proponere. Si qui verò per ſe ipſos id præſtare non poterunt, ne in paſcendis proprijs ouibus negligentes ſint, id per alios viros idoneos à nobis approbandos præſtare ſtudebunt, idque ſub pœnis in ſacris canonibus contentis, alijſque arbitrio noſtro.

Roman. 10. c.

c. excõmunicamus, de hær. §. quia vero.

Cõcil. Trid. Seſs. 5. c. 2. & Seſs. 24. cap. 4.



DE

DE SACRIS CONCIONIBVS, Prædicatoribus, eorumque electione.

Tit. II. Cap. I.

IN Aduentu Domini, & Quadragesima omnino conciones haberi volumus, non solum in Cathedrali nostra, in qua Deo nobis auxiliante, proprium munus exercere sæpè sæpius curabimus; verum etiam in omnibus Terris, Oppidis, & Casalibus Diœcesis. Prædictum verò prædicationis officium fieri poterit per Præsbyteros, vel etiam Diaconos sæculares, siuè etiam regulares per nos approbandos. Hortamur etiam regulares omnes, & in Domino requirimus, vt in proprijs Ecclesijs, quas in Ciuitate, & Diœcesi habent, benedictione à nobis accepta, ad eiusdem Concilij præscriptum conciones tàm præfatis, quàm alijs anni temporibus habere velint, vel sacræ Scripturæ, seu Casuum Conscientiæ lectionem.

Concil. Trid. vbi supra.

Cap. II.

LIcet Sacri Tridentini Concilij decretis inherentes, necnon multorum Episcoporum vestigia sectantes, possimus Prædicatorum electionem tàm in Cathedrali, quàm in alijs locis, nobis reseruare, & illos suo tempore ad prædicandum mittere; nihilominus cum Christi ouibus nobis commissis benigne, & paterne procedere volentes, & consuetudini

Locis vbi supra citatis.

iam

iam antiquatæ adhærere, permittimus, & concedimus locorum Dominis, seu etiam Vniuersitatibus, vt singulis annis Prædicatorem pro futura Quadragesima eligere possint, hanc tamen lege, vt priusquam Prædicatori electo nuncietur, electio nobis significetur, quatenus ipsam approbare possimus; vel etiam iustis de causis reprobare; idq; ne oues lupum, dum non cognoscunt, in pastorem eligant. Quo facto poterunt illum vocare, vt suo tempore, habita tamen à suo superiore licentia, nostraq; benedictione, & licentia ad verbum Dei prædicandum veniat.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.
Tit. III. Cap. I.

1.Cor.14.8. NE ex Pastorum negligentia ouibus Christi nobis commissis id accidat, quod scriptum est, omnis ignorans ignorabitur; quod proculdubio erit his qui Dei præcepta, articulos Fidei, & reliqua religionis nostræ prima rudimenta ignorare inuenti fuerint; omnibus, & singulis Archipræsbyteris, Parochis, siue alijs animarum curam habentibus mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub poena vnius rotuli cærę quoties contrafecerint, vt singulis diebus dominicis, & festiuis, per totum annum hora competenti, à prandio, vsq; ad vesperas, siue etiam post vesperas in proprijs Parochijs pueros, & puellas Doctrinam Christianam doceant, & omni diligentia studeant, vt addiscatur ab

illis,

illis, & memoria recitetur, inq; ea recitanda sæpiùs exerceantur, propositis etiam aliquibus puerilibus præmijs, vt emulentur, & hęc scire contendant, quę oportet.

Cap. II.

IGitur cum audierint parentes, & alij Clericum campanam pulsantem per Parochiam, pueros, & puellas ad Doctrinam Christianam audiendam conuocare; gratias agentes Deo, qui proprijs natis occasionem salutis præbet, & ipsos tàm grandi onere leuat, solliciti erunt illos ad Ecclesiam transmittere, adhibitis etiam minis, & verberibus, si eos accedere non viderint; nec eos docere negligant, quod indulgentiam ex huiusmodi exercitio ex Pij V. & Gregorij XIII. munere consequuntur. Nec solùm parentes carnales hanc curam habere tenentur filiorum, verùm etiam parentes spirituales, qui eos vel ex sacro fonte leuauerunt, vel coram Episcopo cum confirmarentur, tenuerunt.

Const. quæ incipit ex debito, & Gre. in Cōstit. illius qui.

DE HAERETICIS DETEGENDIS, & libris prohibitis non legendis.
Tit. IV. Cap. I.

Laudatur hic Tit: in Synodo Vincentini pag: 35.

ILlibata verò seruatur fides, cum vigilatur à nobis, & inimicus homo prohibetur, ne clam vt sui moris est, veniens, super bonum fidei semen zizania superseminet. Vigilabunt igitur omnes, & si quos cognouerint viros leprosos, pestilentibus hæ-

resibus resperſos, & verba blaſphemiæ in fidem catholicam proferentes, ſtatim ad nos deferent omni correctione poſtpoſita, idque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, alijſque in ſacris Canonibus contentis.

Cap. II.

QVia verò vt cancer ſerpit malæ doctrinæ venenum, id facient non ſolum cum hereticum hominem cognouerint, verùm etiam cum diuinator, ſortilegus, ſuperſtitioſus, magus, veneficus, incantator, & quicumq; alius huius generis perditus homo illis occurrerit, & preſertim ſi in theſauri ſcrutatorem offenderint, cum ſoliti ſint huiuſmodi à Fide catholica apoſtatare, cupiditate duce, quę omnium malorum radix eſt, vt inquit Apoſtolus. *1.Tim.6.b.*

Cap. III.

MAgnum quidem eſt damnum, quod à prauis hominibus, ijſque infidelibus, verumtamen viuis, catholica fides patitur; ſed nec minus contemnendum eſt, quod eidem infertur quotidie à mortuis; idque fit ex eorumdem lectione, in quibus auctores curioſa ſectantes, non modo neceſſaria omittunt, verum etiam perniciosa docent. Quamobrem omnes abſtinebunt ab illorum librorum lectione, venditione, donatione, ſeu quauis diſtractione, qui in Romano indice, alijſque vel Apoſtolicis, vel deputatorum decretis prohibetur, idque ſub

Cōc. Trid. Seſ 4. Conſt. quæ incip. Dominicis Gregis,

ſub pœnis, & cenſuris in Bulla fel. rec. Pij IV. alijſq; contentis.

Cap. IV.

AT quia fieri facilè poteſt, vt vel ex ipſius indicis imperfecta notitia, vel ex modo quo vſu recipitur, & obſeruatur, multi, ſed ignoranter pœnes ſe libros prohibitos, vel ſuſpenſos habeant; omni diligentia curandum nobis eſt, ne etiam hoc modo ſuperſeminentur zizania; igitur à pręſentis Synodi publicatione poſt quindecim dies omnes quomodocumq; libros habentes, ſiuè non prohibitos, eorundem indicem nobis præſentabunt, vel etiam Vicario noſtro; qui re nobiſcum collata, ſi quos inuenerimus (quod abſit) vel prohibitos, vel ſuſpectos, in eoſdem remedijs opportunis animaduertemus, ſi verò nihil offenderimus ſcandali, eoſdem indices manu noſtra ſubſcriptos, eorundem dominis reddemus.

Cap. V.

HAeredes, vltimarumque voluntatum executores quamprimum hæreditatẽ adepti fuerint, intra quindecim omninò dies, inuentarium librorũ, quos inter alia bona repererint, facere, illudque nobis præſentare teneantur: nec ſub excommunicationis pœna de huiuſmodi libris quouis pacto diſponant, niſi inuentario per nos, ſiuè à deputatis recognito, & approbato; fieri enim facile poteſt, vt aliquem librum prohibitum, vel ſuſpenſum, iuxta etiã *In Indice Pij IV. Reg. 10.*

causa vrgente, per superiores facta fuerit licentia legendi defuncto, quę tamen nullo iure transit ad heredes.

Cap. VI.

Vbi supra, & in eadẽ reg.

BIbliopolæ, & alij librorum venditores, & qui etiam in sarcinulis de loco ad locum libros, & quasdam cantilenas, orationes, historias deferre solent, sub pœna excommunicationis, & amissionis librorum in ipso ingressu Diœcesis, si illos vendere voluerint, teneantur Vicarijs foraneis quibus occurrerint, indicem integrum, & verum librorum quos deferunt, præsentare; qui statim per Diaconum aliquem siluestrem ad nos, siue deputatos illum approbandum transmittent; ante approbationem verò nullo pacto vendere audeant. Quod si ad ciuitatem pergere primo voluerint, ibique vendere, idem vicarius foraneus sigillo suo signabit capsas, sarcinulas, & alia in quibus libri continentur, & librorum dominum suis literis ad nos diriget.

Cap. VII.

CVm experimento compertum sit vagos quosdam homines, qui per Ciuitates, & loca discurrũt, & publicè in plateis, & vicis multa loquuntur, & obloquuntur, & nonnulla vendenda proponunt adiunctis quibusdam schedulis, & cartulis, siue etiam libellis, simplices viros, & mulieres superstitiosa docere, & sæpe ea proponere, quæ honestati,

bonisque

bonisque moribus aduersantur; idcirco malo etiam huic, vt Fides Catholica illibata permaneat, occurrentes, sub eiectionis, & amissionis omnium eorum, quæ deferunt, pœna, prohibemus, ne nobis inconsultis, & priusquam nobis exposuerint, & quæ proponunt, & quæ vendunt, vel scamnum ascendant publicè loquuturi, vel aliquid venale proponant. *Concil. Med. primum.*

DE SACRAMENTIS.
Tit. V. Cap. I.

QVæ à Sacrosancta Tridentina Synodo de Sacramentis diffinita, sancitaque fuerunt, toto corde suscipientes; aliqua tantum ad eorum vsum spectantia, vt eisdem tanquam visibilibus signis Fidem Catholicam protestemur, & inuisibilis nobis conferatur gratia, subnectemus; cumque singula ex tribus constent, materia scilicet, forma, & ministro incipientes, curabunt ea administraturi intentionem firmam habere faciendi semper, quod intendit Ecclesia, & ab omni simoniacæ prauitatis, seu etiam auaritiæ labe alieni, non modo gratis, verum etiam sine omni mercedis spe ea conferent petentibus, eo tantum contenti, quod vel ex sacrorum canonum concessione, vel ex veteri, & approbata consuetudine illis conceditur. Quæ verò Sacramenta Sacerdotem ministrum habent, ab eodem non nisi superpellicio, & stola induto (pœnitentiæ sacramento excepto) administrari debent, qui si peccati alicuius mortalis reum se esse senserit, ne illi *Sess. 7. c. 1. Sess. eadem can. 11. & 14 cap. 9. & 21. cap. 1. & 24 c. 1. 3. 14 & 17.*

1.Reg 6.b. accidat, quod Oze aliàs eueniſſe legimus, vel peccatorum confeſſione, vel ſaltem contritione Deo ſe ipſum reconciliare ſtudebit.

Cap. II.

Cõc. Trid. Seſſ.7. 13. 14. MAterias prouidere curabunt ſingulis Sacramẽtis proprias, ſiue aqua illa ſit, ſiue oleum, panis, aut vinum; nec de proprietate tantum, verum etiam, de qualitate materiarum ſolliciti erunt, vt ſint mundæ, nitidæ, & ex melioribus, quæ haberi poſſunt; vt pote quæ ſacris vſibus, & noſtræ ſanctificationi deſeruire debent. Igitur ad ſacrum Baptiſma adminiſtrandum, aquam adhibebunt elementarem, & non aliam: pro ſanctis oleis conficiendis oleum ex oliuis, & non ſeminibus, ſeu fructibus aliarum arborum deſeruiet; & pro Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento panis triticeus tantum, & vinum ex vua factum in materiam præparabitur.

Cap. III.

Locis vbi ſup. citatis. DEmũ Sacramenta adminiſtraturi formas proprias ſingulis, & non alias, nec ſub alijs verbis proferent, quam ijs quæ in Sacerdotali, ſeu etiam Miſſali libro habentur expreſsè; & id præſertim curabunt, vt verba formarum proferant, cum lauant in baptiſmate, vngunt in extrema vnctione &c. & ſemper quantum fieri poteſt illa materiebus coniungant, quas etiam fideliter memorię mandare curabunt,

rabunt, quatenus maiori facilitate, & promptitudine Sacramenta administrentur ab ipsis. Hactenus de Sacramentis in communi, nunc verò aliqua de singulis subiungemus.

DE BAPTISMATE.
Tit. VI. Cap. I.

A Baptismate verò incipientes, quod aliorum omnium est ianua, & sine quo reliqua conferri minime possunt, à proprio Parocho illud suscipient baptizandi: cum verò illud erit collaturus, stabit superpellicio indutus, & stola, habebitque candelam accensam in manibus vna cum ritualium libro, in quo leget quæ necessaria erunt. Hæc verò omnia obseruabuntur, nisi necessitas aliud postulauerit; tunc enim absente Parocho, per alium Sacerdotem, eoque deficiente per Diaconum, & successiue per alium Clericum, vel per virum, & demum per mulierem; nec non vbicunque conferri poterit, dummodo conferentes formam baptizandi calleant, quæ est; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Debitam materiam adhibeant, aquam scilicet simplicem, & elementarem, & omnino intentionem habeant faciendi, quod facit Ecclesia: studeant etiam ita verba formæ proferre, dum abluunt baptizandum, vt semper coniungantur materiæ, & vno eodemque tempore manus abluendo, lingua proferendo verba, suum munus exerceant.

Cap. veniēs de presbyt. non baptiz. c. constit. de Cons. dist. 4. Cle. vnica de baptis.

Cap. in necessit. de Cons. d. 4.

Conc. Trident. sess. 7. cap 2 & 4.

Cap.

Cap. II.

Cap. 1. de Sac. nō iterandis, c. 1. de Baptism. & eius effectu.

BAptizandus infans infra octauum diem per obstetricem, vel aliam personam prę foribus Ecclesiæ præsentetur, nec vltra differri possit sine culpa. Cum verò viderit Parochus ante se infantem, si certo sciuerit illum domi per obstetricem, vel aliam personam baptizatum fuisse, caueat ab eo rebaptizando, sed tantum ommissas adimpleat solemnitates, nec etiam sub conditione baptizet, nisi contingat eum dubitare de baptismate, an ritè collatum fuerit. Nomen autem quod in baptismate renatis imponitur vnicum tantum sit, siue simplici, siue duplici dictione significetur, & quantum fieri potest Sanctorum tantum imponatur, vt eorum nomina suscipiant Christi fideles, quorum vitam imitari deceat, & mærita apud altissimum eis suffragari possit.

Cap. III.

Cap. quamuis de cognat. spir. &c. nō plures de consf. d. 4. Concil. Trid. ses. 24 c. 2. de refo,

Cap. non licet cum seq. d. 4. ca. cum excōmunicato 2. q. 3.

VT vnicum tantum nomen in baptismate fidelibus est imponendum, ita ex præscripto Sacrorum Canonum, nec non Sacrosancti Tridentini Concilij vnus tantum vir, siue fœmina adhibeatur, qui baptizatum de sacro fonte leuet; in gratiam verò parentum, si duos adesse voluerint, animaduertat Parochus eos esse vnum virum, & vnam mulierem, haud tamen duos, vel duas. Is verò qui hoc munus est suscepturus non sit excommunicatus, publicè criminosus, infamis, interdictus, aut hęreticus,

vel

vel qui tempore ab Ecclesia statuto Pœnitentiæ, & Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenta non susceperit sit verò rudimentorum fidei non ignarus, vt potè qui ad docendum ea quem suscepit, se obligauit, quod suscipientibus omnibus significare debet Parochus. Regulares verò admitti nolumus absque superiorum suorum licentia, quam in scriptis ostendere teneantur.

c. paruuli, de consi. dist. 4. & c. nos autem omnia. ibidem.

Cap. IV.

DIligenter admoneant Parochi susceptores baptizati, eiusq; parentes inter eos cognationem spiritualem contractam fuisse, videlicet inter suscipientem, & baptizatum, eiusdemque patrem, & matrem, item inter baptizantem, & baptizatũ, nec non baptizati patrem, & matrem, quæ etiam in eisdem gradibus in confirmatione contrahitur; estque tanti momenti, vt non modo matrimonium impediat contrahendum, verum etiam contractum dirimat.

Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de ref. Pius V. Cõst. quæ incip. cum illius.

Cap. V.

VT verò baptizatorum omnium ętas, parentes, natales, spiritualis cognatio, aliaq; huiusmodi semper sciri possint, curabunt Parochi in libro ad hunc vsum destinato, statim post collatum baptismum baptizati nomen, & cognomen describere, & insimul notare, legitimisnè natalibus sit ortus, & demum nomina eorum, qui eum de sacro fonte susceperunt.

Conc. Trid. vbi supr. de ref. mar.

Cap. 1. de Cuſ. Euch.

perunt. Monemus autem Parochos omnes, vt diligenter præfatum librum cuſtodiant, & in inuentario bonorum Eccleſiæ inter alia mobilia connumerent, atque ad maiorem cautelam in viſitationibus, vel in Synodo (cum habebitur) eius copiam Magiſtro actuario noſtro conſignent, reponendam ad futuram rei memoriam, in Archiuio Epiſcopali.

Cap. VI.

Cap. in Sabbatho de conſ. d. 4.

DE cętero in ſingulis noſtræ Diœceſis Parochijs aqua baptiſmalis quotannis Sabbatho Sācto, & Penthecoſtes renouabitur, eidemque ſacra olea Cathecumenorum. s. & Chryſmatis commiſcebuntur, & hoc ſolemni ritu benedicta, & conſecrata in vaſis æneis, & ſtanno linitis, quæ ad hunc vſum fieri mandauimus, & per ſingulas Parochias diſtribuimus, conſeruabitur. Ipſa verò ænea vaſa cum ſuis operculis intra vaſa marmorea contineri volumus: & vt puluere, alijs quę huiuſmodi infici non poſſint; panno ſerico, vel laneo erunt cooperta; & vt non ſint omnibus peruia, tegumento ligneo claudentur appoſita claue, & peſſulo, quæ ſemper erit pœnes ipſum parochum. In ipſo verò fonte baptiſmali ſi commodè fieri poterit, vel in alio loco decenti, claue tamen obſignato, habebit parochus vaſa duo argentea, vel ſtamnea cum ſuis inſcriptionibus, in quibus ſacrum Chriſma, oleumque Cathecumenorum aſſeruabit: aderit etiam tertium vas, vel vitreum, vel alterius honeſtæ materiæ ad caput baptizan-

Cap. omnis Presby. vbi ſup.

Cap. de Trinit. vbi ſup.

tizan-

tizandi lauandum. Item ſal exorcizatum, bombix, mappulæ, candela benedicta, & alia, quæ cum ſacrum baptiſma datur, ſunt oportuna. Si verò propè baptiſmi fontem aderit ſacrarium, in eo effundet baptiſmalem aquam, quæ ex baptizandi capite defluet, nec non & lotionem manuum ſuarum, ſed ſi ſacrarium longè à fonte ſitum erit, hæc omnia in vaſe aliquo mundo recipiet, effundenda ſuo tempore in ſacrario. Caueant verò diligenter ne cuiquam aquam, olea, ſal, & reliqua ſuperius dicta præbeant, neuè à quopiam ea aſportari ſinant ſub excommunicationis pœna, & alijs noſtro arbitrio infligendis.

Cap. VII.

PVerperæ cum primum valuerint, Eccleſiam adire curabunt, tum acturæ Deo gratias de prole ſuſcepta, tum vt Sacerdotalem benedictionem accipiant. Et ſi non dum monitæ fuerint, moneantur ſub grauiſſimis pœnis fuiſſe mandatum, ne infantes ante decimum octauum menſem completum ſecum in lecto retineant, idque ob ſuffocationis periculum, quam ſępenumero etiam pręter omnem intentionem parentum accidiſſe compertum eſt.

Cap. vni. de purgation. partur.

Cap de infantibus, de his qui fil. occi.

DE CONFIRMATIONE.
Tit. VII. Cap. I.

SAnctum Confirmationis Sacramentum vt à digniori confertur miniſtro, ita & baptiſmate

Cap. de his, & ſequ. de conſ. diſt. 5.

Cōc. Trid. sess. 7. c. 3. de confirm. & Sess. 23. c. 7. de sacr. ordinis.

quodammodo nobilius esse nemo est, qui ambigat; sed licet non tantæ necessitatis, sicut baptisma, haud tamen contemnendum est fidelibus, siquidem in eo sicut & in cunctis alijs, nedum confertur gratia, verum etiam specialis quædam gratia nobis datur ad confirmãda corda nostra, vt palam Christi nomen, fidemque profiteamur, & tanto Spiritus sancti muniti presidio, contra diaboli regnum totis viribus dimicare possimus. Nullus igitur ex fidelibus, vel per negligentiam illud suscipere omittat, vel vsque ad vltimam differat senectutem, sed qua ætate ab Ecclesia statutum est, à fidelibus omnibus suscipiatur.

Pont. Rom. c. de confi.

Cap. II.

Conc. Trid. vbi supra Sess. 7.

IGitur Parochi curabunt ne coram Episcopo, qui solus est huius Sacramenti minister, cum ipsum conferre contigerit, statuantur confirmandi minores septennio, & qui orationem dominicam, & articulos Fidei recitare nesciant, & sicut docendi sunt parentes, ne filios, (vt præfatum est,) minores offerant: ita monendi sunt ne vltra duodecimum annum, vel ad summum quintumdecimum eos differre faciant. sic enim fiet vt eos non pudeat grandi, iam ætate confirmari, & ob id sine hoc Sacramento ab hac vita migrare, vel ea de causa, quod non recordantur se confirmatos fuisse, coram Episcopo iterum sisti. Sacramentum si quidem istud irreiterabile est, & absque sacrilegio suscipi iterum minime potest.

Cap. dictũ, & sequ. de consf. dist. 5.

Cap.

Cap. III.

QVia verò in confirmatione, sicut & in baptismate cognatio contrahitur spiritualis, quæ non solum matrimonio contrahendo est impedimento, verùm etiam & contractum dirimit: ne per ignorantiam aliquem errare contingat, mandamus, vt cum à nobis, siue in ciuitate, siue per diuersa diœcesis loca hoc Sacramentum administrabitur, adsint non solum Curiæ nostræ Actuarij, qui confirmandorum, & eos tenentium nomina, & cognomina conscribant; verum etiam Parochi ipsi intersint, vt nomina eorum describant, qui propriæ ipsorum Parochiæ sunt adscripti.

Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de ref. mat.

Cap. IV.

NVllus fidelium à pluribus quàm vno, vel vna teneatur, sicut de baptismate dictum est; ab hoc autem pietatis officio arcendi sunt proprij parentes, infideles omnes, qui non sunt confirmati, & qui censuris Ecclesiasticis sunt innodati, & reliqui alij, qui superius de sacro fonte leuare prohibiti sunt. Tenentes verò, vt potè qui onus suscipiunt, confirmatos rudimenta fidei docere, diligenter attendant, vt ipsi sciant, quod, alios docturi sunt. Cum autem confirmandum sistere debent coram Episcopo, accedant reuerenter capite detecto, & si fuerit infans, ipsum habeant in bracchio dextero, si autem adultus, & grandæuus, eum stantem Episcopo offerant,

Conc. Trid. vbi sup. & locis supra citatis: de bapt. c. 3.

Pont. Rom. in c. de confirm.

tenen-

tenentes manum ipsius dexteram, pedemque item dexterum confirmandi superpositum habeant pedi eorum dextero. Cum autem confirmatus fuerit, deferant coram aliquo ex præsbyteris, à quo fascia cum bombice (quam confirmandi omnes deferre debent) supposito in fronte ligetur, quæ ante quatuor horas nec soluatur, nec ab alijs, quam Sacerdotibus solui debeat, quorum etiam sit, frontes confirmatorum lauare, bombicem comburere, & vnà cum cineribus, & ablutione in sacrarium proijcere.

Cap. si quis voluerit, glo. de cons. dist. 4.

DE SANTISSIMO EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

Tit. VIII. Cap. I.

Conc. Trid. Sess. 13. c. 1. 2. 3.

SAcrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum omnibus alijs dignius, ac nobilius esse credendum est; vt potè quod non solum rei sacræ est signum, & gratiam, quam significat in semetipso continet, & fidelibus confert; quemadmodum omnia alia Sacramenta faciunt, verum etiam ipsum gratiæ auctorem Iesum Christum Dominum nostrum realiter
3 q. 73. 2. b. continet. Quo factum est, vt Sanctus Thomas docere non sit veritus, in ipso tria reperiri, rem scilicet; Sacramentum; & demum tertio, id quod res
Ioh. 6. d. est, & Sacramentum. Hoc, quod cibus est spiritualis interioris hominis, pascimur, & cibamur omnes fideles in Christo renati, vt verum sit quod regius
Psal. 110 b. Propheta dixit, Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator dominus, escam dedit

timen-

timentibus se. Estq; etiam ipsum necessitatis Christo domino nostro eius auctore asserente, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quamobrem consulte satis pia Mater Ecclesia præcepit omnibus, vt cum ad annos discretionis peruenerint, semel in anno hoc Sacramentum suscipiant, quod præceptum absque mortali culpa transgredi nemo potest. Doceant igitur Parochi subditos suos, vt non modo illud omni qua decet reuerentia venerantur; verum etiam ad illud suscipiendum diligenter se præparent, vt spirituali hoc cibo nutriti, eiusdem fructus, qui diuini sunt, consequi possint.

Ioh. 6 f.

Cap. omnis de pœnit & remissio.

Cap. II.

IN Cathedrale nostra, omnibusque Archipresbyteralibus, & Parochialibus Diœcesis Ecclesijs Sanctissimum hoc Sacramentum in tabernaculis lapideis, vel ligneis diligenter, & fideliter asseruabitur, sera, & claue adhibitis, quæ pœnes ipsos Archipresbyteros, vel Parochos, seu Capellanos erit, & de cętero sub pœna vigintiquinque rotulorum cerę eam non relinquent super altare, aut alijs in locis ex quibus Laici, vel alij eam accipere possint, vt vel ea vtantur, seu aliquid temerarium attentare præsumant. Tabernacula verò erunt auro ornata, vel depicta, & serico conopæo iuxta temporum qualitatem cooperta; intrà ipsa tabernacula erit corporale mundum extensum, atque etiam in interioribus, & su-

Cap. sāc. de celeb. Missarū, c. 1. de cust. Eucha. c. Presb. de cons. dist. 2. Conc. Trid. sess. 13 c. 6.

& superioribus partibus erunt panno serico, vel alterius honestæ materiæ ornata; aderit quoque pixis aurea, aut argentea, vel si ænea, auro tamen linita, & intra quam corporali extenso particulę conseruabuntur, eritque, & ipsa operculo eiusdem materiæ munita, & sericis tentoriolis cooperta. In eodem tabernaculo nec reliquiæ Sanctorum, nec olea sancta, aut quoduis aliud custodiatur; sed tantummodo pixis, in qua Sanctissimum Sacramentum continetur; & curabunt Parochi, vt ante ipsa tabernacula vna, vel plures lampades accensæ pro locorum qualitate colluceant; vtq; de quindena in quindenam ad summum particulæ consecratæ renouentur, omnemque diligentiam adhibeant sub pœnis in Sacris Canonibus contentis, ne mures, tineæ, vermes, & alia huiusmodi aliquam ex particulis corrodant, & consumant, vel per quamuis negligentiam aliquid tanti Sacramenti depereat.

Cap. sanc. de celebrat. Missarũ, & c. 1. de cust. Euch.

Cap. III.

ALtare super quod Sanctissimum Sacramentum conseruatur, decet, vt sit omnibus alijs magis ornatum, mundum, & nitidum. Quamobrem præsto sit bursa cum corporali, quod cum administrari debet Sacramentum, super ipsum extendatur: item purificatorium ad abstergendos digitos Sacerdotis, duo saltem candelabra cum candelis, & ante ipsum Altare duo, vel saltem vnum cãdelabrum magnum cum intortitio, quod cum candelis pro oportunitate

accen-

accendi possit: Aderunt etiam ampullæ vini, & aquæ, & cyathi christallini, vel alterius decentis materiæ ad ablutionem laicis porrigendam; nec non & calix, in quo ablutio digitorum Sacerdotis hoc Sacramentum administrantis recipi possit, & tobaleæ ante pectus suscipientium extendendæ. Sacerdos verò cum hoc Sacramentum dare debebit fidelibus, erit superpellicio indutus, & stola, habebitque pœnes se ministrum superpellicio similiter indutum, nec illud administrabit nisi in Altari fidelibus ante se genuflexis, & capitibus denudatis, oculisque demissis illud adorantibus, & sumentibus.

Cap. sanct. de celebr. Missarũ.

Cap. IV.

DOceant sæpè Curati Parochiales suos panem hunc supersubstantialem quotidianum esse, & quotidie sumendum ab his qui quotidie peccant, & si non quotidie, Dominicis tamen diebus, vel singulis mensibus, vel in præcipuis festiuitatibus, & præsertim Ciuitatis, vel loci patroni, (vt sancti Patres, sacraque concilia docuerunt) sed omnino saltem, & ad minus semel in anno, ex Ecclesiæ præcepto illud suscipere non omittant, nisi velint Ecclesiasticis carere liminibus, & in morte etiam sepultura, idque in Paschate, & toto tempore, quod Paschale dicitur, videlicet à Dominica Palmarum, vsque ad octauam resurrectionis Christi inclusiuè. Qui verò in dicto tempore ad hanc mensam non accesserint; vel sine proprij Parochi licentia absti-

S. Aug. ser. 28. de Ver. Domin. tõ. 10. S. Amb. lib. 4. de Sacram. cap. 6 tõ. 4. S. Aug. lib. de Eccl. dogm. c. 53. tom 3. c. 51. non frequẽtius de consec. distin. 2. Innoc. iij. in Concil. Lat. can. 21. Cap. omnis de pœnit. & remissio.

D nue-

nuerint, notentur,& eorum nomina quam primum ad nos transmittantur; vt oportunis adhibitis remedijs, vel Ecclesiæ præceptis obtemperent, vel ex Sacrorum Canonum dispositione tanquam inobedientes interdicantur, alijsque pœnis innodentur. Vt verò hæc facilius obseruari possint, non admittant Parochi excusationes dicentium se alibi confessos, & communicatos fuisse, etiam quod ex licentia nostra id fecisse asserant, nisi eam in scriptis manu nostra,& sigillo obsignatam ostenderint. Nec etiam si aliquibus itineris faciendi causa licentiam concesserint, vt in locis, in quibus tunc temporis fuerint, hoc Sacramento reficiantur id eos fecisse credant, nisi fidem confessarij, & Sacerdotis, qui Sacramenta administrauit, ostenderint; cum experimento compertum sit, inobedientes filios hanc ad inuenisse artem dicendi se alijs in locis Sacramenta suscepisse, ad euitandas Ecclesiasticas pœnas. Doceant etiam sacramentalem Confessionem præcedere debere Sacramenti sumptionem ad se ipsos bene probandos, & de pane cœlesti ædendum, quemadmodum Apostolus dixit, & Sacrosanctum Concilium Tridentinum exposuit.

1.Cor. 11.f.

Sess. 13.can. 10.

Cap. V.

Matth. 15. c.

QVia verò panis filiorum minimè dandus est canibus, vt pia mater Ecclesia hortatur, filios omnes ad hanc mensam patris accedere; ita & arcet eos, qui inter canes merito computantur.

Quare

Quare hæreticos, excommunicatos, vſurarios, & concubinarios publicos, infames, & reliquos huius generis perditiſſimos homines omnino ab hac Domini menſa excludant Parochi, nec eis tantum Sacramentum adminiſtrare præſumant; nec illis credant cum dicunt quòd ab alijs confeſſarijs abſolutionis beneficium conſecuti fuerint, niſi in ſcriptis de eo docuerint, & pœnitentię ſigna, peccati ſtatum omnino relinquendo, oſtenderint. Pueros ante plenum rationis vſum, & quod cognouerint differentiam, eſſe inter panem menſæ Chriſti, & menſæ communis, non admittant: nec amentes, aut à dæmonibus obſeſſos, niſi cum lucida patiuntur interualla, aut non ſemper à dæmonibus vexantur, & quòd de eis timendum non ſit, quòd vel Sacramentum euomant, vel aliquid indignum faciant.

S. Cypr. lib. 2. Epiſt. 10. in princip. S. Aug. lib. de medic. pœn. c. 3. t. 9.

Cõc. Carth. 3 can. 35. c. non prohibeat de Cõſ. diſt. 2. c. nulli de conſe. diſt. 4. Cõc. Arauſi. can. 3. & habetur c. qui recedũt de Cõſ. diſ. 2

Cap. VI.

INfirmis hoc Sacramentum non ſolum non eſt denegandum, verum ad proprias ipſorum domos per Parochos eſt deferendum, & ſi ex ea qua laborant ægritudine decedere timent, illis non modo in cibum, ſed etiam in viaticum, quo maximum iter peragraturi labores omnes ſubſtinere poſſint eſt præbendum. Sed conſultius omnibus erit, ſi ex præſcripto conſtitutionis Pij V. ſan. mem. Medici poſt triduum non viſitabunt infirmos, niſi fuerint pœnitentiæ Sacramento purgati, & ſancto hoc pane refecti. Cum igitur Sacerdos communicaturus

Cõc. Trid. ſeſſ. 13. c. 6. de Sacram. Euch. & locis ibi citatis.

Incipit ſup. gregem.

erit infirmum, ipſo prius viſitato diligentèr inquiret, an impedimento aliquo laboret, quo ſuſcipere nequeat Sacramentum, vt potè quod de euomitione timeat, vel fauces, ſeu guttur habeat infectum, vt deglutire non poſſit, & niſi magna vrgente neceſſitate non communicetur infirmus, qui non ſit ieiunus; quo caſu etiam animaduertere debet Parochus tale tempus eligere, quod non oporteat, vel nocte, vel horis alijs pomeridianis Sacramentum deferre, præterquam neceſſitate vrgente, vt dictum eſt. In domo verò in quam deferendum erit, curabit paruum componi Altare cum ſacra Imagine, & luminibus, ad Sanctiſſimum Sacramentum reponendum, & monebit omnes, vt qua maiori poſſunt munditia, etiam exteriori, Dominum vniuerſorum recipiant. His peractis facto ſigno cum campana, confratres, & alios conuocabit ad Sanctiſſimum Sacramentum aſſociandum, & omnibus neceſſarijs præparatis, videlicet vmbella, ſiue baldacchino, luminaribus, lanterna, tintinnabulo, libro, aſperſorio, corporali cum ſua burſa, ipſe cocta indutus, & ſtola, nec non pluuiali, cum in ciuitate, vel locis inſignioribus erit, pixidem vtraque manu ſuſcipiens, procedit ſub baldacchino, & à deferentibus intortitia aſſociatus, & capite denudato, oculiſque demiſſis, qua maiori poterit corporis compoſitione incedet, & domum infirmi ingreſſus, his omnibus adhibitis ceremonijs, quæ in Sacerdotali libro habentur, illum ſacro hoc viatico reficiet: cuius etiam ſi opus fuerit prius confeſſionem audiat, & ſalutari impoſi-

ta pœ-

ta pœnitẽtia absoluat, si autem dum domi erit communicaturus infirmum, nouum aliquid id impediẽs superuenerit, eo casu tantummodo adorãdum præbeat Sanctissimum Sacramentum. Infirmo communicato, eodem quo venerat ordine reuertatur ad Ecclesiam, & ante aram Sanctissimi Sacramenti, dicto confiteor, & facta absolutione publicet indulgentias, populumque sacra pixide benedicat, quam tandem suo loco reponat. Animaduertat verò ne Sacramẽtum delaturus, vel tabernaculum vacuum particulis relinquat, vel vnam tantum secum deferat, sed in alia parua pixide argentea, vel alterius honestæ materiæ alias particulas in tabernaculo relinquat, & duas ad minus secum portet, vnam pro infirmo cõmunicando, alteram reportandam ad Ecclesiã, cum reuertitur infirmo communicato. Si verò per loca inuia, & ferè inaccessa eum pergere contigerit, vt sunt in hac Diœcesi Præcacordis, Potamiæ, & huiusmodi alia, vel etiam in locis à parochialibus per vnum, vel duo milliaria distantibus: eo casu vnicam tantum deferat hostiam, & communicato infirmo faciat absolutionem, & publicet Indulgentias, atque extinctis luminibus, deposita stola, & cocta sine tintinnabuli sonitu ad Ecclesiam, vel domum suam reuertatur.

Cap. VII.

CVm Diœcesim hanc nostram lustraremus, admodum gauisi sumus, quòd in omnibus locis San-

Sanctissimi Sacramenti capellas decenter, & opportunè ornatas vidimus, & ipsarum curam habere cognouimus confratres, & societates, quæ ferè omnes Archiconfraternitatibus Sanctissimi Sacramenti de Vrbe ad gratias, & Indulgentias consequendas à Summis Pontificibus concessas, sunt aggregatæ. Vt verò quòd laudabiliter est inchoatum, & à multis iam peractum, sequantur, & amplexentur omnes, curabunt Parochi, & Capellani locorum quàmprimum erigere vbi non sunt societates, & illas aggregare Romæ; quod etiam curabunt facere illi, apud quos sunt erectæ, & non dum aggregatæ. Confratrum verò, & consororum societatis peculiare munus erit Sanctissimum Sacramentum associare, cum ad infirmos defertur, & singulis cuiusq; mensis tertijs diebus dominicis ad Ecclesiam conuenire, Missæ adesse, Sanctissimumque Corpus Christi cum cereis, & faculis accensis comitari, cum in processione vel per Ecclesiam, vel per eius ambitum defertur; alijsque pietatis operibus vacare, quæ ex Archiconfraternitatis, cui sunt aggregatæ capitulis, sunt præscripta.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE
Tit. IX. Cap. I.

Super illud Esa. 3. peccatum suum &c. tom. 5.

POenitentia, quæ Sancto Hieronymo id affirmāte, secunda est post naufragium tabula; & ipsa vnum est ex septem Ecclesiæ Sacramentis, ad remittenda peccata post baptismum commissa, institutum.

tutum. Hoc docuit Saluator noster cum dixit Apostolis; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quod hac etiam de causa credere debemus, quod scriptum est, nisi pœnitentiam egeritis, omnes pariter peribitis. Eius tres sunt integrales partes, scilicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Et sicut cætera Sacramenta proprio gaudent ministro, materia, & forma, ita & ipsa Sacerdotem habet ministrum; materiam actus, & opera pœnitentis, contritionem scilicet, confessionem, & satisfactionem; formam demum ea verba, scilicet, ego absoluo te; quæ licet diuersis sint formulis, antecedentibusq; & subsequẽtibus verbis expressa, animaduertere tamen debet Sacerdos absoluens, vt ea semper proferat nullis alijs interpositis verbis (vt plerique faciunt) sed vel prędant, vel subsequantur alia verba, semper eadem oratione nõ interrupta dicere debet, ego absoluo te.

Conc. Trid. Sess. 6. c. 14. et Sess. 24 c. 1. Io. 20. e.

hic 13. a

Sess. 14. c. 3.

Cap. II.

Licet verò, vt dictum est, Sacerdos sit tanti Sacramenti minister, & quilibet cum sacro Sacerdotali charactere insignitur hac inter alias potestate polleat: nihilominus quia non omnes Sacerdotes, vt habent potestatem ordinis, ita gaudent iurisdictione; ideo sanctè decretum est non omnes Sacerdotes absoluendi facultatem habere nisi ordinariam, aut delegatam habeant iurisdictionem, aut ab habente potestatem, hæc illis facta sit facultas; quòd non

Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. et Sess. 23. c. 15. de ref.

de sepu cap. omnis de Clem. dudũ §. ac deinde pœn. & remiss. Cap. si Epis. de pœn. in 6.

non modo pro sæcularibus, sed etiam pro regularibus Sacerdotibus verum est, tametsi multis gaudeant priuilegijs, sic enim Sacri Canones, & demum sacrosancta Tridentina Synodus sanxerunt. Estque admodum rationi consentaneum; vt in hoc spirituali iudicio animæ in subditos feratur sententia, ne frustra absoluantur, seu ligentur. Igitur in Diœcesi nostra absque licentia à nobis in scriptis habita, & approbatione præcedente, nullus sacras confessiones audire audeat, sub pœnis tanta præsumptione condignis. Concedimus verò Parochis, vt de proprijs Parochi licentia, eorum qui alterius sunt Parochiæ, confessiones audire possint: eosque pro potestate quam habent absoluere, salutaribus pœnitentijs impositis.

Cap. III.

Cap. si quis suadente 17 q. 4. cap. ita quorundam de iud. c. cõquæste de sent. ex cõmun. Conc. Trid. Sess. 14. c. 7.

SIcut nõ omnes Sacerdotes potestate iurisdictionis gaudent, ita ex Sacerdotibus, qui aliorũ curam habent, vel ad audiendas confessiones exponũtur non vtiq; possunt ab omnibus quibuscunq; criminibus commissis peccatores absoluere; sed sanctissimo consilio factum est, & vsu receptum, quod grauiora quædam crimina à summis, & maioribus tantum sacerdotibus absoluantur. Vt igitur Romanus Pontifex, qui vniuersali Ecclesiæ præest, multos sibi casus, & absolutiones reseruat: ita & Episcopi hoc idem in suis Diœcesibus faciunt, & ab his inferiores Sacerdotes absoluere minime possunt, nec etiam suorum priuilegiorum virtute, si sint regula-


res,

res, sic enim sacra Cardinalium Congregatio, Sacrosancti Tridentini Concilij locis declarandis præfecta Illustrissimo bon. mem. Carolo Bonrhomeo Sanctæ Praxedis Præsbytero Cardinali rescribens, literis ad eum directis censuit. Tenor autem literarum est, qui sequitur. *A tergo Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino, Domino meo obseruandissimo. Domino Cardinali Bonrhomeo, intus vero. Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Cum à Sacra Congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt Decretis Concilij Tridentini interpretandis. Illustrissima Amplitudo tua quæsiuerit, an regulares ex priuilegijs à Sede. Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in ijs casibus, quos sibi Episcopus reseruauit absoluere confitentes, hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad sanctissimum Dominum nostrum retulisset, illius sanctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè priuilegia regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ. Amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris M. D. LXXII. Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Amplitudinis tuæ, humilissimus seruus, Philippus Bōcompagnus Cardinalis Sancti Sixti,* Ne vero contingat Sacerdotes per ignorantiam absoluere à quibus non possunt casibus, seu censuris, de cætero in sedibus confessionalibus, non solum affixa habebunt exemplaria Bullæ Cœnæ Domini:

verum etiam casuum, qui à nobis reseuantur. ij autem sunt infrascripti.

Casus Reseruati.


1 NOn soluentes decimas.
2 Periuri in iudicio, vel actu publico.
3 Abutentes chrismate, oleo sancto, Eucharistia, aut alia re sacra ad alium vsum, quam fuerint ordinata.
4 Homicidium voluntarium.
5 Procurantes abortum cum effectu, seu sterilitatem.
6 Opprimentes filios ex proposito, vel ex casu.
7 Incestum committentes in primo, vel secundo gradu.
8 Concubinarij publici tàm clerici, quàm laici, & eorum ooncubinæ.
9 Sodomitæ, vel coeuntes cum brutis.
10 Committentes furtum quibuscunque in rebus ad Missæ sacrificium, vel diuinum cultum pertinentibus.
11 Mutantes terminos possessionum quarumuis Ecclesiarum.
12 Notarij, & Actuarij, qui dolose diminutam informationem capiunt, vel dicta testium omnia non scribunt.
13 Percussores parentum.



Cap. IV.

SAeculares Sacerdotes cum ad audiendas Confessiones à nobis approbantur, caueant terminos transgredi ipsis in facultate præfinitos, quare in ijs tantum locis eas audiant, in quibus est eis data facultas, & his temporibus, quæ à nobis sunt expressa. Regularibus verò cum approbati fuerint, concedimus vt ex suorum priuilegiorum gratia omnium, & quarumcunque personarum Dioecesis, præterquam Sanctimonialium; nec non omni tempore, etiam Paschatis, & in articulo mortis confessiones audiant. Caueant tamen tam illi, quam etiam isti à casibus, & censuris reseruatis absoluere, nisi velint ex concilij Viennensis decreto in excommunicationis sententiam incidere Romano Pontifici reseruatam. Cum verò vigore iubilei, vel aliarum similium facultatum, Sacerdotes expositos, & approbatos poenitentes absoluere contigerit, diligenter aduertant verba in rescripto Apostolico contenta, vt non nisi concessa vtantur potestate, cum in absoluendis peccatoribus à censuris, & casibus, tum in commutandis votis, nec quouis pacto irregularitatibus dispensandis se interponant, nisi specialiter, & verbis claris, & expressis eis facta fuerit dispensandi facultas.

Clem. 11. de Priuilegijs.



Cap. V.

DEcet Sacerdotes, & præſertim curatos omni honore hoc Sacramentū adminiſtrare. Quare cum frequēs eſſe ſolet numerus pœnitentium, ſuperpellicio, & ſtola induti in ſuis ſedibus ſedebunt, (haud tamen cum virga in manibus, ea etenim pęnitentiario excepto neminem vti volumus;) & cum mulierum confeſſiones audierint, maioris etiam totius corporis compoſitione ſe muniant. Caueant igitur ab illis audiendis in locis remotioribus, & magis ſecretis; ſed ea eligent loca, quæ omnibus ſint conſpicua, in quibus tamen à nemine audiri poſſint, ſimiliter nolumus mulierum confeſſiones extra neceſſitatis caſum, præterquam in Eccleſijs audiri, & quantum ad temporis conditionem attinet, omninò prohibemus ne ante ſolis ortum, vel etiam poſt eiuſdem occaſum illas audiant, etiam in Eccleſijs, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis. Sedes pro confeſſionibus audiendis habebunt ligneas, & quæ tabulato intermedio ſeparent perſonas pœnitentium ab ipſis; & in tabulato crates erunt ferreæ, vel ligneæ, cū ad facilius quæ dicuntur, audienda, tum ad perſonas accedentes cognoſcendas. Si verò contigerit Sacerdotem confeſſiones audientem, aliquem ex confitētibus non abſoluere, ex eo quod poteſtatem nō habet, vel quòd pœnitens diſpoſitione caret, ne ab alijs circumſtātibus id cognoſcatur, curabit Sacerdos ea adhibere exteriora ſigna, quę alijs cum abſoluuntur adhiberi ſolent, atque etiam cum pœnitentibus mi-

nime

nime altercari, seu indignantis, vel displicentis animi signa aliqua ostendere.

Cap. VI.

OMnis vtriusque sexus fidelis cum ad annos discretionis peruenerit, curabit semel in anno, & saltem in Paschate peccata sua proprio confiteri Sacerdoti, sub pœnis superius cum de sacra Communione ageretur expressis. Verum vt quo decet spiritu, huic sanctissimo subijciantur iudicio, hortamur omnes, vt recogitantes, in amaritudine animæ suæ anteactæ vitæ dies corde contrito, & humili, nec non demissis oculis, & quæ possunt pœnitentis animi signa ostendendo, ad pedes Sacerdotis procumbant. Sacerdotis vero erit eos docere, vt signo sanctissimæ Crucis se muniant, & dicto (prout sciunt, & possunt confiteor, propria peccata cum suis circumstantijs explicent; eis etiam considerata qualitate personarum, auxilio esse debet ad explicanda, & distinguenda, nec non etiam in memoriam reducenda peccata, & eos pro personarum qualitate monere, vt de præteritis doleant, & in futurum à peccando abstineant; demũ illos absoluere à censuris prius (si oportet,) postea verò à peccatis, & salutari imposita pœnitentia dimittere. In pœnitentijs verò iniungendis animaduertant non omnia medicamenta omnes infirmitates curare posse, sed alia alijs adhiberi solita remedia, quare ea imponent opera facienda, quæ sunt animi ægritudinibus conuenientia, Cap. omnis de Pœn. & remis.

Seſſ 14. c. 3. & 8. de Sacram. pœn.

& quibus non ſolum de male acta vita pœnam tenere poſſint, verum etiam, & futuræ rationem habere, & proximo cum oportet ſatisfacere. In imponendis verò pœnitentijs, perſolutionis eleemoſinarum, & Miſſarum, ab omni auaritię ſuſpitione cauebunt; quare vel locis pijs applicandas imponent, vel in communi capſa eleemoſynas pro Miſſis recipiãt.

Cap. VII.

Clem. vnica de pœn. §. vltimo.

Conc. Trid. Seſ. 14. c. 7. de Sacram. Pœnit.

Cap. paſtoralis, §. præterea de off. ord. ca. 2. de pœn. & remiſſ. in 6. & ibi gloſ. in verbo reſeruant.

IN audiendis ægrotantium confeſſionibus Sacerdotes tàm ſæculares, quàm regulares caueant illis moleſti eſſe de ſepultura eligenda, & multo magis vt promiſſionibus, ſeu iuramento ſe obligent, idque ſub pœnis in iure expreſſis. Similiter abſtineant à teſtatorum, ſeu legatorum etiam ad cauſas pias diſpoſitione, ſed tantum ſalutari conſilio, & monitis ipſos, provt oportet, adiuuent, & licet in articulo mortis poſſint pœnitentes ab omnibus cenſuris abſoluere; ſciant tamen nullo modo ſe inter ponere debere incertorum reſtitutioni, vel alijs huiuſmodi, quæ nobis iure ordinario ſunt reſeruata. In Villulis verò, & Pagis, in quibus haud poteſt preſto eſſe notarius, & qui ad teſtamenta conficienda ſunt neceſſarij, Sacerdos, vt cum contigerit, fidem facere poſſit de infirmi teſtamento, & præſertim legatis pijs, eius vltimam voluntatem in ſcriptis recipere curabit, & ſaltem coram quinque teſtibus, quorum nomina vel ſubſcribi faciet, vel cum neſcierint ſcribere ſigno Crucis, ipſimet obſignabunt, vt moris eſt.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMAE Vnctionis. *Tit. X. Cap. I*

INfirmatur quis in vobis, inducat præsbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum, & vngant vnctione misericordiæ,& oratio iusti alleuiabit infirmũ. His verbis Sanctus Iacobus Apostolus commendat, hortaturque fideles ad suscipiendum extremæ vnctionis Sacramentum: quod proculdubio sicut reliqua à pijssimo illo samaritano, qui homini sauciato obuiãs, vt ipsi mederetur, super eius vulnera, oleum effudit; & vinum institutum est ad peccati reliquias tollendas, gratiamque conferendam, & augendam, vt callidissimo hosti qui totis viribus insidiari conatur calcaneo nostro, eo maiori virtute resistamus, quò minora iura, debilioraque, peccati etiam reliquijs deletis, in nobis habere dignoscitur. Hoc sicut & reliqua tribus constare fatemur, agente, seu ministro qui proprius est Parochus, vel cui vices suas commiserit, materia, oleum scilicet ab Episcopo feria quinta maioris hebdomadæ solemniter benedictum, & forma, verba illa, per istam vnctionem &c. quæ in Rituali Romano habentur, & ad singulas vnctiones proferuntur. Estque ex his Sacramentis quæ reiterari possunt: quare si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

Iac. 5. c.

Cap. præsbi. 95. dis. c. 1. §. 1. de Sacram. Vnct. Conc. Trid. Sess. 14. c. 1. de Sacram. extr. vnct. & c. 2.

Gen. 3.

Conc. Trid. vbi sup. c. 3.

Cap. II.

Vbi sup.

IGitur Parochus, vel cui id commiſerit, ſiue his abſentibus, ſi pro temporis mora periculum infirmo imminet, vt ſine hac ſancta vnctione decedat, quilibet alius Sacerdos ritè ordinatus hoc Sacramentum adminiſtrabit, eritque ſuperpellicio, & ſtola indutus, ſecumque habebit, ſi fieri commodè poterit alios Sacerdotes, ſeu Clericos, qui ipſum in miniſterio, & præcibus, quæ dicuntur, adiuuent: ea verò omnia circa infirmum inungendum, ſiue vir ſit, ſiue fœmina: obſeruabit quæ in libro rituali habentur. Curabit inſuper diligenter animaduertere progreſſus infirmi, vt ſi fieri poteſt petat inungi, & hoc Sacramento muniri: & tanto temporis interuallo præcedat vnctio, vt ea completa adhuc ſuperuiuat, quòd ſi dum Sacramentum confert, infirmum mori contigerit, ſtatim ab vnctione proſequenda abſtineat, ſi verò, vt ſæpe accidere ſolet, in dubio eſt an deceſſerit, an adhuc viuat, tunc hac conditione appoſita, ſi es viuus per iſtam vnctionem &c. adimpleat miniſterium ſuum. Fieri etiam poteſt, vt errore deceptus Sacerdos vno pro alio vtatur oleo, puta chriſmatis, vel cathecumenorum quo caſu cum id cognouerit, & adhuc ſuperuiuit infirmus, iterum ad eum quam primum accedat; & infirmorum oleo iterum etiam proferendo verba inungat.

Cap. de ext. vnct.

Cap. II.

ADultis ægrotantibus, & qui in diſcrimine vitæ ſunt, propeque exituri, miniſtrari debet hoc Sacramentum: Cœteris verò, qui vel adhuc ſunt pueri, vel ſi ſenes, reſoluuntur potiuſquam infirmantur morituri, minime. Idem dicimus de mulieribus in partu laborantibus, viris ad bellum proficiſcentibus, nauigantibus, itinerantibus, & ijs qui mox vltimo ſupplicio plectendi ſunt, vel quoduis aliud aggrediuntur opus, ex quo facile mortem ſubire poſſint. Idem etiam aſſerimus de amentibus, & furioſis, qui ab ipſo ortu nunquam mentis, & rationis compotes fuerunt; qui verò interdum rationis vſum habent, & eo potiſſimum tempore pij animi dant ſignificationem, petuntque vt ſacro oleo vngantur, inungi debent; quod etiam fieri debet, ſi contingat infirmos vel in ſrænesim incidere, vel quouis alio accidente grauari, quo vel ſomno oppreſſi, vel loquela ammiſſa, non poſſunt hoc Sacramentum petere; tunc enim cum eos viderit corporeæ ſalutis deſtitutos, inungere debet, & ſat illi eſſe, vel ab adſtantibus audire ipſum benè de hoc Sacramento ſenſiſſe, vel proprio ſuimet inniti teſtimonio; qui vt bonus paſtor cognoſcere debet ſui pecoris vultum. Cum autem contigerit Parochum ad remotiora loca, & inacceſſa, Euchariſtiæ Sacramentum deferre, ſi rationabiliter timet, quod ad Parochiale domicilium rediens, decedere poſſit infirmus, vel quod nocte moriturus ſit, & preſto eſſe non poſſit ad ipſum

Cath. 7. Rom. de extr. vnct. pa. 34.

ſum inungendum; vt his caſibus ſubueniat, vnà cum Sãctiſſimo Sacramento deferat oleum infirmorum, & ægroto communicato, ipſum quoque inungat; moneat tamen adſtantes, & eos qui infirmi curam habent, ne eum auxilio, & corporis cura deſtituant; vt pote quod adhuc non eſt mortuus, & quam plures etiam ex his qui cum infirmi eſſent, inuncti fuerunt, adhuc ſuperuiuunt.

Cap. IV.

Cathe. Rom. vbi ſupra.

VT nihil omittatur à Parocho eorum, quæ ad moriendum in Domino adiumento poſſunt eſſe fidelibus, valde oportunum erit, vt antequam inungat infirmum, ipſum ab omnibus cenſuris, abſoluat; inunctus vero vbi fuerit eius animam commendet Deo, adiunctis ſacris Litanijs, & Præcibus, quæ de more recitari ſolent; & demum renunciet illi indulgentias, quas pro ordinaria Epiſcopali auctoritate conferre poſſumus, quadraginta ſcilicet dierum, nomine quæ noſtro benedicat. Moneat verò mulieres, aliaſq; ſuperſtitioſas perſonas, ne morientibus infirmis ad eorum aures appropinquẽt, & verba quædam inania, & incantatoria proferant, quòd non ſolum indecens eſt, verum, & peccatum non leue, quinimmo graue, & execrabile. Poterit quoq; pro loci, & temporis oportunitate hortari, cum infirmum, tum etiam alios, qui ad ſtant ad patientiam, & vt Domino, à quo eſt omne datum optimum, etiam de chariſſimi morte gratias agant, & omninò

Iac. 1. a.

1. Theſ. 4. c.

non

non contriſtentur, ſicut, & cæteri, qui ſpem non habent. Quare abſtineant à vanis quibuſdam, & ſtultis verbis; cantilenaſque, quas reputatrices dicunt, nullo modo admittant; nec capita depilent, aut alia huiuſmodi faciant, quæ nec Ethnicos quidem, vel gentiles decent, non modo Chriſtianos, & qui ſuorum corporum reſurrectionem credunt.

Reputatrici quam in Synodi Regni Siciliae

Cap. V.

NE amplius in poſterum id accidat, quod alias in hac diœceſi, & eo tempore, quo in ea reſidemus, contra ſacrarum cæremoniarum ritũ contigiſſe nouimus: nempe Parochos, & Cappellanos nonnullos, adeò negligentes fuiſſe in Oleis ſacris à Cathedrali ſumendis, quod non modo illis vti non potuerunt Sabbatho Sancto ad aquam baptiſmalem conſecrandam, ſed nec ea prompta habuiſſent ad infirmos inungendos, ſi opus fuiſſet, cum aliqui per hebdomadam, ne dum per dies poſt Paſcha tranſactos ea ſumere ſoliti fuerint. Et excuſari non valeant, quod propter ingentes pluuias, & currentium fluminum magnum impetum, tutus acceſſus non datur; vel quod hominem non habeant ſacris initiatũ, quem tranſmittant; de cætero hic ordo per diœceſim omnino ſeruabitur. Et primò volumus, quod ex remotioribus locis, vt ſunt Caſtri Veteris, Roccellæ, Blanci, aliíſque ſimilibus accedentes, in ſero feriæ quartæ maioris hebdomadæ ſint præſentes in ciuitate. Cæteri vero proximiores accedere pote-

 runt,

runt, vel in sero, vel summo mane, vt omnes præsentes sint cum olea consecrantur.

Archipræsbyter Castri Veteris sumet olea pro alijs Parochijs, & Casali fabritiæ.

Archipræsbyter Agripteriæ pro alijs Parochijs, & pro Casalibus Mammolę, S. Ioannis, & Martonis.

Archipræsbyter Blanci pro Turre Brutiani, Motticella, Præcacorde, Sancta Agatha, & Casignano.

Archipræsbyter Bobalini pro Carerio, Sãcto Luca, Natili, & loco, qui dicitur, il Fondaco.

Archipræsbyter Condoiannis pro Sancto Nicolao, Ardore, & Casali Ciminæ.

Archipræsbyteri Roccellæ, Gioiosæ, Sideronis; Capellani Agnanæ Canali, Portigliolæ, Antoniminæ singuli ex Cathedrali.

Omnino volumus, & mandamus sub pœna rotulorum decem ceræ, quod omnes Archipræsbyteri, Parochi, & Capellani in sero feriæ sextæ parasceuæ habeant in suis Ecclesijs olea sancta noua, vt illis vti possint in consecratione aquæ baptismalis, & inunctione infirmorum, si occurrerit. Quod vt fiat, singuli ex aggregatis curabunt haberi aliquem apud eum Archipræsbyterum, qui pro eis olea sumat in sero feriæ quintæ, nisi velint ipsimet accedere. Quia verò ex antiquissima, & immemorabili consuetudine, qui olea à Cathedrali sumunt, certum quendam numerum candelarum, & ouorum transmittunt, ne ex hoc ordine Episcopalis mensa suis priuetur iuribus, declaramus, quod singuli ex aggregatis debent à Dominica palmarum, quam primum transmittere

illi

illi Archipræsbytero, cui sunt aggregati, illum candelarum, & ouorum numerum, quem Cathedrali soluere tenentur; & caueant Archipræsbyteri à negligentia in exigendis præfatis candelis, & ouis, nisi velint proprijs expensis ea soluere. Declaramus etiã singulos ex aggregatis teneri debere ad ratam expensarum, quæ ab Archipræsbyteris fient, transmittendo vnum, vel duos pedestres, vel etiam equestres ad sumenda sancta olea. Curabit etiam œconomus generalis nostrę mensæ singuli Archiprębyteris notam dare ex libro plateæ redditũum Episcopalium desumptam, vt sciant quem numerum candelarum, & ouorum exigere habent ab aggregatis, & ad nos transmittere.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Tit. XI. Cap. I.

DEcet populum fidelem, qui Domini sabbaoth exercitus est visibilis, suo gaudere ordine, cũ ad cõfusionem vitandam, quæ multorum malorum causa esse solet; tum vt terribilis sit aduersarijs, semper incedẽs, vt castrorum acies ordinata; atq; etiam non desint populo Dei viri ad hoc specialiter electi, vt bonorum omnium largitori sacrificia, & hostias offerant, & plebem doceant fide, & spe, & charitate illum colere. Ob has, aliasque quam plures causas, quas cõsulto omittimus, institutum fuit in nouo testamento Sacramentum Ordinis, quod vt alia, verbis, & signis exprimitur, & per ipsum sicut per baptismum,

Cant.6.d.

Heb.8.a

Concil. Trid. sess. 23.c.2.3.4 de Sacr. Ord.

tismum,

tifsinum, & confirmationem caracter imprimitur in suscipiente; quod nec auferri, nec deleri vnquam potest, sapienterque factum est, vt quemadmodum exercitus pluribus distinguitur officijs, & gradibus; ita & aliqui sint ex ordinibus minores, alij maiores, qui & sacri nuncupantur; & qui non nisi per Episcopum conferri possunt; cuius proprium est per omnes gradus in hanc spiritualem militiam viros conscribere, eosque ordinibus insignire.

Vbi supra cap. 4.

Cap. II.

CVm igitur rationabile sit, vt in sortem Domini segregati à communi distinguantur plebe, nec quisquā sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquā Aaron, & filij eius; de cætero interdicimus, ne nobis inscijs audeat aliquis clericali habitu, & tōsura incedere, vel Ecclesiasticis muneribus solemniter deseruire, sed ijs tantum hoc sit permissum, qui ordinibus sunt decorati, seu etiam ipsis initiati, quod fit, cum clericali tonsura ornantur. Ad primam verò tonsuram non admittantur, nisi fuerint confirmati, & fidei rudimentis imbuti, & qui legere, & scribere sciant, & de quibus probabilibus saltem rationibus constet, eos hoc sumere initium ordinis ad fidelem cultum Deo facilius exhibendum, non autē ad potestatem, seu iudicium sæculare vitandum. Ad minores autem ordines; videlicet Hostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, & Accolytatum non promoueantur, qui linguam latinam non calleant, &

Heb. 5. c.

c. nō liceat 91. dist. cōc. Trid. sess. 23. c. 4. de reform.

quod

quod legunt non intelligāt, & legitimo matrimonio ſint procreati, habeantque requiſitam ætatem, & à proprio Parocho, vel ludi magiſtro bonum teſtimonium, quod literis incumbant, & bonis moribus ſe ipſos ornare ſtudeant; & tàm initiati, quàm promoti ſciant ſe clericalibus beneficijs non gaudere, niſi cum habitu, & tonſura incedant, provt in locis, in quibus commorantur, moris eſt, & Eccleſiæ inſeruiant; quamobrem declaramus omnes in noſtra Diœceſi ad huiuſmodi ordines promotos, Parochialibus, vel Matricibus Eccleſijs inſeruire debere non ſolum feſtiuis, verum etiam ferialibus diebus, cum id fieri oportuerit.

Cap. IV.

AD ſacros ordines promouendi, oportet vt vel beneficium habeant Eccleſiaſticum, vel patrimonium, quorum vtrumque valoris ſit ducatorum vigintiquinque, & ſaltem alterum realiter, & cum effectu poſſideant, eaque poſſidere iuridice coram Vicario noſtro probent, data cautione de eo nobis inſcijs, nullo pacto alienando. Doceant inſuper de legitimis natalibus, ſufficientique ætate, videlicet ſubdiaconi, quod completum habeant vigeſimum primum annum; diaconi vigeſimum ſecundum; Sacerdotes vigeſimum quartum, idque Parochi, vel aliorũ ſufficienti teſtimonio. Inſuper oſtendant literas teſtimoniales aliorum ſuſceptorum ordinum, & ſi ante præfixa temporum interualla fue-

runt

runt promoti, ostendant qua auctoritate, quibusque de causis, cum ipsis fuerit dispensatum; de literis verò, & sufficientia examinatorũ iudicio decernemus, examini, vt semper fecimus, adstantes, & cum ipsis super admissione, vel exclusione deliberantes. Qui ex nostra Diœcesi ad sacros ordines sunt promouendi, hæc quæ diximus de beneficio, seu patrimonio, ætate, &c. docere studeant statim ab affixis, & publicatis edictis, ne nos contingat his occupari, cum examinibus vacare debemus; quibus propter exteros aduenientes vix eo tempore sufficit dies. Curent promouendi eorum ordinum, quos suscipere habent, cæremonias in Pontificali Romano legere, vt nedum Episcopus, verum etiam ipsi, quæ agenda sunt, sciant, & singuli secum deferant, quæ pro ordinibus suscipiendis deferri solent.

Cap. IV.

CLerici qui etiam primum sacrum ordinem susceperunt, sciant se teneri ad horas canonicas recitandas, quas omittere non possunt absque mortalis peccati reatu, & si beneficium habent Ecclesiasticum absque partis fructuum amissione; quare videant etiam examinatores, an sciant recitare diuinum officium, & si sunt Sacerdotes, sciant valde condecens esse, vt singulis diebus festiuis celebrent, Diaconi verò, & Subdiaconi saltem singulis mensibus confiteantur peccata sua, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficiantur; & omninò die-

bus ſtatutis ſacro Altari miniſtrent. Animaduertant etiam diligenter ſinguli in ordinibus miniſtrantes, vt illis ſacris veſtibus ſint induti, & ea omnia habeant ornamenta, eoque modo deferant, quo proprijs ordinibus ſunt aptata Subdiaconi, & Diaconi miniſteria peracturi, per Magiſtrum Cœremoniarum de requiſitis cereinonijs doceantur, & examinentur; quod etiam fieri debet cum Sacerdotibus, priuſquã Miſſæ ſanctiſſimum Sacrificium offerant. quamobrem neminem ex ordinatis volumus in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, niſi de licentia noſtra, & quod nobis conſtiterit, eos ſacras ceremonias bene agere didiciſſe. Tandem declaramus, quòd de cetero dimiſſoriales literas pro ordinibus ſuſcipiendis, nullo pacto concedere decreuimus; ſed nobis cordi eſt, omnes noſtræ Diœceſis promouendos, per noſmetipſos (ſi Deus id conceſſerit) ordinare, & malumus eos ordinationes à nobis tenendas expectare, quam eis licentiam concedere ad alios Antiſtites adeundi, ſignificantes omnibus, qui eam petierint, quod rem ingratam nobis ſemper facient.

DE SACRAMENTO MATRIMONII,
Tit. XII. Cap. I.

VT nihil deſit eorum, quæ neceſſaria ſunt populo Dei, & ſemper veriſſimum ſit, quod Sanctus Paulus Apoſtolus dixit, aduenisse Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt mundaret ſibi populum acceptabilem; ſectatorem bonorum operum, ſalu-

tari consilio factum est, vt matrimonium quod contractus tantum, & vinculum naturæ erat, deinceps Sacramentum magnum esset in Christo, & in Ecclesia, idque ad multiplicandam cum benedictione plebem fidelium. Igitur instituente Christo factum est Matrimonium Sacramentum, quod vt rei sacræ signum, coniunctionem repręsentat Christi, & Ecclesiæ, ita etiam sicut cœtera omnia, proprijs constat materia, forma, & ministro. Vt verò tria nuptiarum bona, quæ Sanctus Augustinus dixit, fideles consequi possint fidem scilicet, prolem, & Sacramentum æquum est rem tam sanctam non nisi pie, & religiose, & Sanctorum Patrum exemplo, Abraam pręsertim, & Tobiæ tractare, quare omnia quæ à sacris Canonibus, & postremò à Sacra Tridentina Synodo de matrimonij Sacramento constituta fuerunt, volumus inuiolabiliter obseruari. Vtque tàm contrahentes, quàm ipsimet Parochi aliqua non valeant ignorantia excusari, præcipimus sub pœnis arbitrio nostro infligendis omnibus animarum curam habentibus, vt saltem bis in anno dicti Concilij decreta, quæ ad matrimonij reformationem spectant populo proponant, & vulgari sermone ezplicent.

Lib. de Nupt. & concup. c. 2 tom. 7.

Gen. 21. a
Iob. 8. d
Seß. 24. ca. 1. de refor. Matr.

Cap. II.

Vetustissimæ verò, & immemorabili Ciuitatis, & Diœcesis nostræ consuetudini adhærentes, quæ nè hominum memoria excideret, singulis annis in die Cœnæ Domini cum alijs Synodalibus capitulis

ex manusc. Archiuij Hierac.

pitulis tàm in Cathedrali, quàm in alijs Curatis Ecclesijs publicè lecta semper fuit, & quam bo: me: Andræas Candida, & Octauianus Pasqua in suis Synodis renouarunt, & confirmarunt, & pro qua extant responsa Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, qui Decretis Concilij Tridentini interpretandis sunt præpositi; videlicet sub xiij. Kalendas Septembris M. D. LXXVIII. *Si ante Concilium aderat legitima consuetudo, Concilium non sublulisse*; Et iterum iij. Kalendas Octobris M.D.LXXXVII. *Contrahentes edicto hoc omisso incidere in pœnam excommunicationis constitutionibus Synodalibus propositam*; omnibus Parochis, eorumque coadiutoribus, etiam si ad nutum amouibiles sint, sub excommunicationis pœna præcipimus, vt ante denunciationes, quæ ex Tridentini Cõcilij præcepto fieri debēt, nullo modo matrimonijs ineundis intersint, aut ipsas denunciationes faciant, nisi prius à generali nostro Vicario per illos ad quos spectat, obtenta fuerint edicta ad matrimoniũ contrahendum, quę per contrahentium Parochum, seù Parochos primo die denunciationum in Missa Parochiali recitare, & deinde ad communem omnium notitiam ad Ecclesiæ ianuam per totum tempus trium denunciationum affixum remanere decernimus. Si verò contrahentes in diuersis locis tã Ciuitatis, quàm Diœcesis domicilium habere contigerit, volumus ex eadem veteri consuetudine duo edicta einsmodi ab eodem Vicario obtineri, quæ per vtriusque sponsi Parochos in eorũ Ecclesijs, & publicè

Ex reg. lit. ad Episc. Hierac.

Sess. 24. cap. 1.

 legi,

legi, & earundem valuis affigi, vt supra dictum est, iubemus. Et quæ de edictis obtinendis diximus, declaramus necessaria esse non solum pro his, qui de præsenti, verum etiam de futuro sponsalia contrahunt, in quibus exprimenda erit ætas, tàm maris, quàm fœminæ, idque non solum in sponsalibus de futuro, verum etiam in matrimonijs de præsenti; & si de ea dubitatur, omnino probationes sumantur, antequam concedantur edicta. Quæ vero de edictis diximus, volumus etiam obseruari quando alter, vel vterque contrahentium exterus est, dummodo in Diœcesi sponsalia, vel matrimonium contrahere velint; nec omitti debent edicta, etiam cum illi contrahunt, qui dispensationem propter gradus prohibitos; vel alia de causa à Sede Apostolica obtinuerunt. Quod si aliqua de causa, nobis tamen bene visa, denunciationes, quæ ex Concilij decreto fieri debent, remittendas esse in totum iudicauerimus; tunc idem fiet de edictis, cœterum si vnica, vel bina denunciatio facienda erit, tunc etiam semel tantum, vel bis publicabuntur edicta. Generalis autem noster Vicarius, cuius erit huiusmodi edicta concedere, curabit ea non expediri, nisi excommunicationis latæ sententiæ apposita pœna, pro eorumdem obseruatione, & secundum formulam ordinariam, & consuetam Diœcesis. Nullus verò Parochus, seù quæuis alia persona Ecclesiastica cuiuscunque gradus, & conditionis existat, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, & alijs arbitrio nostro imponendis, absq; licentia nostra audeat huiusmodi

Sess. 24. ca. 7. de Reform.

edicta

edicta expedire, quæ in omnibus ferè Diœcesis locis iurisdictionis Episcopalis semper fuerunt; & pro cuius conseruatione, nolumus Vicarium etiam generalem alicui vices suas delegare posse, pro huiusmodi edictorum expeditione.

Cap. III.

EDicta subsequuntur denunciationes, quæ ex eiusdem Concilij decreto debent esse numero tres, nisi aliud Episcopo visum fuerit; & queadmodum edicta, ita, & denunciationes publicari debent per Parochum in Ecclesia inter Missarũ solemnia, & quando maior adest multitudo populi, vt ad omnium notitiam perueniãt; fieriquè debent tribus festiuis diebus continuis, & in eisdem sub anathematis pœna præcipere, vt scientes impedimenta denuncient. Si verò in illarum aliqua impedimentũ aliquod etiam per famam, aut vnicũ testem innotuerit, tunc à reliquis denũciationibus desistãt Parochi, & transmissa ad nos depositione eius, qui impedimentũ opposuit, sponsis sub excommunicationis pœna, simul cohabitare, & versari prohibeant. Denunciationes faciendæ erunt in vtraque Parochia, cum ex diuersis erunt contrahentes; nec non in Archipręsbyteralibus, seu Matricibus Ecclesijs in locis, in quibus hactenus fieri consuetum est. Animaduertant Parochi mulierum, ad celebrationem matrimonij non procedere, nisi prius habito testimonio per Parochos virorum, & eorundem manu signato, quod denun-

Seß. 24 c. 1 de Refor.

c. super eo de consa. et affin. cap. propterea de spons. Matr.

Cõc. Trid. Seß. 24.

ciatio-

ciationes factæ sunt, & nullum fuit impedimentum oppositum. Cum verò ex alienis diœcesibus erunt, vel vterque, vel alter ex contrahentibus, præter Parochi fidem volumus aliam haberi Reuerendissimi Episcopi, vel eius generalis Vicarij sigillo munitam, & quod per testium depositionem fiat, quæ maior fieri potest inquisitio super contrahentium conditione, & qualitate. Nemini autem liceat, sicut de edictis dictum est, in totum, vel pro parte prædictas denunciationes remittere, vel post contractum matrimonium, ante illius consumationem postponere, cum id totum Episcoporum prudentiæ, & iudicio sacra Tridentina Synodus reliquerit; pro cuius maiori obseruatione, & ne tam salutaris solemnitas cursu temporis in desuetudinem vadat, nolumus generalem Vicarium, nisi nobis absentibus, de denunciationibus disponere posse; & si quis ex Parochis, seu eorum substitutis, his quæ diximus aduersari ausus fuerit, sciat se acriter arbitrio nostro puniendum. Si autem aliquando contigerit denunciationibus peractis, matrimonium intra duos menses non contrahi, animaduertant Parochi eosdem sponsos matrimonio non iungere, antequam iterum pro eo denunciationes fiant, nisi aliter à nobis prouisũ fuerit.

Eadem Sess. 24.

Eadem Sess.

Cap. IV.

VT Concilij Tridentini decretis omnino obtemperemus, de cœtero matrimonia non nisi in facie Ecclesiæ, præsente, scilicet proprio Parocho, vel

Sess. 24. c. 1 de ref mat. cap. aliter 30 q 5.

vel alio Sacerdote, cui hoc onus iniunctum fuerit, duobusque, vel tribus testibus celebrentur, & hanc formam omittere nullo pacto liceat, quin ex laudabili, & antiqua Ciuitatis, & Dioecesis consuetudine, quæ non solum ex cursu temporis facta est altera lex, sed maiorem vim habet ex eo, quod Illustrissimi Domini Cardinales, qui supra, suis literis insinuauerunt, maximè optare, vt obseruetur, in ipsius materialis Ecclesiæ ianua, vel ante fores Ecclesiæ fiant; idque hoc Synodali decreto præcipimus, & mandamus sub poenis arbitrij nostri, vt non omittatur, nisi aliter, & ex rationabili causa nobis prouisum fuerit. Si quis verò Parochus, seu Sacerdos, cum minori testium numero, quam dictum est, & testes qui sine Parocho, vel Sacerdote matrimonio contrahendo præsentes fuerint, nec non ipsi contrahentes præter poenas Tridentino iure inflictas, alijs etiam provt nobis videbitur, sciant se puniendos. Omnino verò caueant omnes à clandestinis matrimonijs, nempe, quæ fiunt absque solemnitatibus à Tridentina Synodo decretis, nec solum docebunt Parochi ea, neque vera, neque rata matrimonia esse, verùm etiam quã primum, si qua suspicione laborabunt, quòd huiusmodi matrimonia compleri possint, de illis nos certiores faciant, vt oportunis adhibitis remedijs tantæ inobedientiæ, & malo occurramus. Doceant etiam contrahentes, ne in gradibus prohibitis, matrimonio iungantur spe facilius obtinendæ dispensationis; cum præter poenas, quas incurrunt, ipsa etiam dispensatione priuantur: idque ex Romanæ curiæ stylo,

Ex man. Archiu. Hierac.

Ex Regis litter. ad efr. Hier.

Cõc. Trid. vbi supra.

vbi sup.

Cõc. Trid. Sess. 13. c. 5 de refor.

Cõc. Trid. Sess. 13 c. 5 de reform.

ſtylo, qui ſemper probari, & laudari debet ab omnibus.

Cap. V.

Seſſ.25.c.1 de reform.

EX eiuſdem Sacroſancti Concilij decretis, præter ea quæ diximus, antequam coniungantur, benedici per Sacerdotem debent ſponſi, idque per proprium Parochum, vel eum in cuius Parochia matrimonium conſumandum erit. Si quis verò alius Sacerdos sine noſtra, vel Parochi licentia id facere præſumpſerit; iuſtis pœnis ſe mulctandũ ſciat quòd etiam Parochis comminamur, si abſque probabili cauſa ipſos contrahentes benedicere neglexerint, vel ſacrum hunc Eccleſię ritum ſponſos benedicendi damnauerint. Laudabilem verò Ciuitatis, & Diœceſis conſuetudinem approbantes, declaramus, & volumus, vt non nisi in Eccleſia, & in Miſſæ celebratione, cui reuerenter, & genibus flexis ipsi ſponsi interſint, benedicantur, & Miſſa ea recitetur, quæ in Miſſali habetur pro benedicendis ſponsis. Si autem de fœſto, vel ſancto, pro tempore celebranda erit Miſſa, tunc in ea collecta dicatur pro ſponsis. Et in eadem Miſſa curet Sacerdos, vt ſuo tempore per miniſtrum, non autem per ipſummet Sacerdotem pax ſponsis detur; nec de cœterò domi benedicantur etiam cũ Miſſa (quę vulgò dicitur sicca) quemadmodum ab aliquibus fieri ſolet, nisi ex aliqua rationabili cauſa aliter nobis viſum fuerit. Hunc autem ſacrum ritum vt sine crimine non omittitur, cum primis nuptijs copulantur coniuges, ita inobedien-

c vir autem, de ferijs nuptijs & ibi glo.

dientia esset eum adhibere, cum ad secundas transeunt. Igitur secundę nuptię minimè benedicantur, nisi constet primas benedictas non fuisse, & nisi secundæ sint ex parte viri, primæ verò ex parte viri, primæ verò ex parte mulieris; haud tamen omittendum est etiam in secundis nuptijs Missæ sacrum, quod semper faciendum est. Si qui verò posteaquam reliqua de iure, vel consuetudine obseruãda in matrimonijs contrahendis adimpleuerint, benedictionẽ Sacerdotalem vltra tres menses accipere distulerint, in huiusmodi sũ Ecclesiasticorum rituum cõtemptores animaduertemus his pœnis, quæ in sacris Canonibus continentur. Demum animaduertant Parochi tempus aliquod esse ab Ecclesia statutum quo interdicitur sponsis benedici, & matrimonio iungi: illudque esse ex Concilij Tridentini præscripto, ab Aduentu Domini, vsque ad Epiphaniæ festum, & à fæ ria quarta cinerum, vsque ad octauam Paschæ inclusiuè: & hanc temporis proscriptionem significare habebunt populis sibi subiectis, cum alia ad Sacramentum Matrimonij spectantia nunciant, vt in principio dictum est. *Cõc. Trid. Sess. 24. c. 1 de reform. Matr.* *Sess. 24. c. 10. de ref. Matr.*

Cap. VI.

CVm admodum necessarium sit pro multis humanæ vitæ occurrentibus casibus, matrimoniorum quę fiunt tàm in Ciuitate, quàm in Diœcesi perennem memoriam haberi, de cœtero Parochi ex eiusdem Sacrosancti Concilij decreto omninò li- *Sess. 24. c. 1 de reform. Matr.*

H brum

brum habeant, in quo edicta, & denunciationes ab ipsis factas, & celebrati Matrimonij diem,& locum, coniugum, testiumque nomina, & cognomina describantur, & præfati libri transumptum ipsorum parochorum manu subscriptum, singulis annis,cum pro oleis sanctis suscipiendis mittunt,ad nos deferēdum curent in Archiuio Episcopali conseruandum: quod sub pœnis tanta neglıgentia condignis adimplere curabunt. Formula verò quæ ab omnibus in conscribendis matrimonijs seruari debet, erit tenoris vt infra.

Ego N. Rector Parochialis Ecclesiæ. S. N. de loco tali Hieracensis Diœcesis fidem facio, me tribus diebus fæstiuis continuis, inuicem tamen à se distantibus de præcepto Ecclesiæ, vel si de huius Ecclesiæ consuetudine *in festo S. N. in Ecclesia S. N. in Parochiali Missa publicè denunciasse etiam per edictum matrimonium inter A. & B. contrahendum, nulloq; legitimo impedimento adducto, ac viro, & muliere à me interrogatis, eorumque mutuo consensu intellecto. Die ... Mensis ..... Anno ..... matrimonium inter dictos A. & B. in ipsius Ecclesiæ ianua, iuxta huius Ciuitatis, & Diœcesis laudabilem consuetudinem, seruata in cæteris forma Tridentini Concilij fuisse legitimè celebratum; nec nō in eiusdem meæ Missæ celebratione, cui ipsimet sponsi interfuerunt, eos præcibus, & cęremonijs adhibitis benedixisse, præsentibus N. N. N.*

Ego N. Rector Parochialis Ecclesiæ S. N. manu propria.

Quod

Quod si aliquando ex causis nobis benè visis, denunciationes in totum, vel pro parte remittendas, siuè contracto matrimonio, ante illius consumationem faciendas iudicauerimus, in eo describendo in superiori formula his vtetur verbis, quæ id ipsum exprimant, *scilicet, Ego N. fidem facio me matrimonium hoc inter A. & B. contrahendum, ex Reuerendissimi Episcopi rescripto mihi exhibito, non nisi semel,* vel si duæ solum sint constitutæ denunciationes, *bis in Parochiali Ecclesia S. N. & in die festo. S. N. vel tali die Dominico publicè per edictum denunciasse*, vel si omnes postponantur, contracto, non autem consumato matrimonio, *tres denunciationes solitas, celebrato matrimonio per verba de præsenti postposuisse, nulloque &c.* vel si omnes omittantur, *nullas denunciationes fecisse nulloque mihi deducto impedimento obstante matrimonium, &c. vt supra.*


Cap. VII.

VT res sancta sanctè etiam tractetur, Parochi hortentur coniuges, quemadmodum etiam sacrosancta Tridentina Synodus eos hortatos esse voluit, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consumationem propria peccata confiteantur, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficiantur. Ijsdem de causis ad coercēdam quorundam pætulantiam, qui pecudum, aliorumque brutorum more potius quam hominum, ad hunc Sacramenti contractum consumandum accedunt, sub

Seß. 24. c. 1 cap. aliter, 30. q. 5.

Ex antiqua, & immemo. consuet. Ecclesiæ Hierac.

sub excommunicationis pœna eo ipso incurrenda; & viginti quinque ducatorum mulcta; coniugibus omnibus cuiuscunque conditionis, & gradus existant, etiam si aduenæ sint, & de proximo, vel in futurum matrimonium contracturi, etiam si sponsalia inierint: interdicimus, & prohibemus non solum matrimonij consumationem, in eademq; domo cohabitationem, vel ad alterius domum publicum, siue secretum accessum; sed ne quouis modo mutuam consuetudinem, commerciumque ad inuicem habeant, priusquam matrimonium ipsum in Ecclesia per verba de presenti celebratum fuerit, & deinde Sacerdotali benedictione munitum. Vsu enim, & quotidiana experientia cognitum est, quod complures vix de matrimonio contrahendo verba fecerunt, capitula non subscripserunt, nec de contrahendo promiserunt; & nihilominus in tanti Sacramenti contemptum, proprieque conscientiæ offensionem, nec non bonorum scandalum; se coniunxerunt, & quod peius est, in adulterio sub matrimonij figura, suscepta nonnunquam etiam prole, multo temporis spatio vixerunt, quodvis potiùs cogitantes, quam solemnitates adimplere, matrimoniumq; rite contrahere cum benedictione, provt deberent. Quibus omnibus declaramus, quod nec sponsi, neque sponsæ, sed adulteri, & infames nuncupandi sunt, eorumque proles haud legitima censenda est.



Cap. VIII.

OMninò non omittant Parochi docere sibi subiectos, in quibus gradibus tàm consanguinitatis, quàm affinitatis post sacrum Tridentinū Concilium prohibitum est, quod matrimonio iungantur. Ex eiusdem etiam præscripto doceant in quo gradu cognationis spiritualis, item ratione affinitatis ex fornicatione contractæ, necnon publicè honestatis contrahi denegetur; idq; vt nullus audeat in Sacrorum Canonum contemptum, propriæque animæ præiudicium semetipsum illaqueare; & quod non excusantur, quinimmò eis difficilior redditur dispensandi ratio, si ad facilius dispensationem obtinendam coniungantur ad inuicem. Quibus verò opus est mandatum de dispensando obtinere à Sede Apostolica, eos doceant veras semper causas exprimere debere, non figuratas, aut palliatas, nec occulta impedimenta tacere, ne dispensatio ipsa reddatur inanis, & vacua. Qui verò mandatum de dispensando à Sede Apostolica obtinuerunt, sciant minimè cum eis dispensatum fuisse, nisi prius per nos, vel generalem Vicarium nostrum, cui literæ dirigentur de supplicatis, & expositis iudicatum fuerit. Nullus Parochus, seu Cappellanus, aut substitutus audeat huiusmodi literas executioni mandare, nisi ipsi specialiter, & nominatim directæ fuerint (quod scimus in vsu non esse) idq; sub pœna priuationis beneficij, & curæ, & ducatorum centum. Sponsalia de futuro si quæ mutuo partium consensu contracta fuerint,

Sess. 24. ca. 4. Pius V. const. q. incip. ad Romanum, et aliaq. incip. Cū illis

Conc. Trident. Sess. vbi supra, cap. 5.

Cap. prætera 1. de spons. cap. desponsatā 28. q. 2.

rint, non possint dissolui, nisi parte audita, & causa dicta coram nobis, etiam quod ipsæmet partes in dissolutionem consenserint. Qui vero his non seruatis ea dissoluere, & quod plus est, cum alijs matrimonium contrahere ausi fuerint, præter excommunicationis pœnam, quam ipso facto hac vna pro trina monitione præmissa in eos pronunciamus, alijs etiam arbitrarijs se feriendos sciant.

Cap. IX.

Cap. Gemma de spōs. Cōc. Trid. Sess. 24. c. 9

DEmum ad matrimonij libertatem conseruandam, & vt minimè valeat quouis consensu per vim, & metum extorto violari; sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, ne quis minis, promissis, alijsque violētiam, vel mœtum inferentibus, quouis prætextu, vel causa mœtus, audeat aliquos ad contrahendum compellere, vel etiam retrahere. Et quemadmodum ad matrimonia contrahenda necessaria sunt edicta, & denunciationes, aliæque solemnitates quas supra diximus; ita nec ea dissoluere aliquis arbitrio proprio præsumat, vel etiam quoad cohabitationem publicè separare, nisi altero coniuge coram nobis conuento, & causa dicta, idque ne audeat homo separare, quod Deus coniunxit; & hoc sub grauissimis pœnis in sacris Canonibus contentis, nec non alijs arbitrarijs. Vt verò permittimus matrimonia cum fiunt exteriores lætitiæ signis celebrari; ita etiam ea omnia prohibemus, quæ superstitionem, aut gentilitios

C. significasti c. porro de diuortijs. Conc. Trid. Sess. 24. can. 12 Matt. 19. c Marci 10 b

mores

mores præſeferunt, & præſertim, quod huiuſmodi vana in ianuis Eccleſiæ, vel in ipſis Eccleſijs fiant; item quæ ſuperfluam pompam ſapiunt, ſicuti eſt ſponſos ſub baldacchino Sanctiſſimi Sacramenti ad Eccleſiam conducere, eoſdemque domum reducere, & alia ſimilia; haud tamen ita ſtrictæ, quin aliquibus reformatis, pro perſonarum qualitate ea quandoque admittenda eſſe non arbitremur.

DE ECCLESIIS, & EARVM IMMVNITATE.
Tit. XIII. Cap. I.

ECcleſias, quæ domus Dei ſunt, magna decet ſanctitudo, vt potè in quibus Deus inhabitat, in ipſis orationes noſtras audit, ſacra adminiſtrantur Sacramenta, nec non ſanctum Dei verbum fidelibus prædicatur. Vt igitur eas omni maiori reuerentia, & tum exteriori, tum etiam interiori cultu proſequamur, volumus vt de cætero Eccleſiæ omnes tàm Matrices, quàm Parochiales, & aliæ etiam non curatæ ſua habeant hoſtia cum ſeris, alijſq; inſtrumentis, quibus claudi horis ſuis poſſint; & exceptis Cathedrali noſtra, & alijs Matricibus Eccleſijs nolumus alias quaſcunque per totum diem manere apertas, ſed tantum illis horis, quibus ſacra peraguntur, niſi vel conſuetudo, vel occaſio alicuius indulgentiæ conſequendæ, vel fœſtiuitatis earundem, aliud in contrarium ſuadeat. Præ foribus Eccleſiarum, & præſertim curatarum adſint depictæ Imagines Sanctorum, in quorum honorem ſunt dedicatæ.

Pſal. 92. *2. Par. 7.*

dicatæ. Et si quæ adsunt priuatarum domorum fenestræ, per quas in eas prospici possit, etiam si sint ipsorum met rectorum, omninò intra mensem parietem constructo claudantur; & si quæ itidem adsunt fenestræ, ex quibus in eas facile patere possit aditus, eædem, vel fabricentur, aut cancellis ferreis, vel ligneis muniantur.

Cap. II.

Cap. 1. de Eccl. edif. vel reparã.

CVrent Ecclesiarum rectores, quod earundem tecta sint bene composita, ita vt pluuiam non admittant; similiter pauimenta minimè diruta sint, & indecentia. In Cathedrali, & Parochialibus adsit suggestum altum, & ornatum, ad verbum Dei fidelibus proponendum; item scamna, & sedes auditorum commoditati aptatæ. Non desint confessionales sedes ad confessiones fidelium audiendas; & omnino curent quod Altaria sint bene disposita, & omnibus ad sanctissimum Missæ sacrificium offerẽdum necessarijs munita. Quare si non sunt consecrata, habeant tamen altariola parua lapidea consecrata, & super vnumquodque Altare sit Icona, vel Imago, quæ serica, aut linea operiatur vela: adsint candelabra, tobaleæ ad sufficientiam; linteola, pallium, vel ex serico, vel saltem ex corio deaurato, & depicto, scabellum paruum, siue puluinar, super quo reponendum erit Missale, necnon scabellum inferius sub pedibus Sacerdotis tantę longitudinis, & latitudinis, quantæ est ipsummet Altare, quod omnino volu-

mus

mus esse altitudinis palmorum quatuor, longitudinis sex, latitudinis verò trium.

Cap. III.

IN omnibus Ecclesijs adsit sacrarium, siue piscina; nec non vas marmoreum saltem vnum ad aquam lustralem continendã, quæ vt munda quantum fieri potest recipiatur à fidelibus, singulis Sabbathis renouabitur. In Cathedrali verò, Collegiatis, & Parochialibus adesse debet fons baptismalis eo modo, & forma dispositus, quibus supra diximus, cum de baptismate ageremus; & vt Ecclesiæ mundæ semper sint, sacristæ erit eas saltem octauo quoque die expurgare, & verrere, & quandoque etiam bis in hebdomada pro diei festi, & rerum occurrentium oportunitate, & necessitate. Animaduertant quoq; sacristæ, quod mortuorum sepulchra benè clausa custodiantur, ne foetorem emittant, & molesta sint in Ecclesijs permanentibus. Canes, pueros discurrentes, homines deferentes accipitres, arma hastata, sclopeta ab Ecclesijs expellant, nisi fuerunt curiæ ministri, seu officiales. Omnibus vero ex sacrosancti Concilij Tridentini decreto prohibitum sit deambulare per Ecclesiãm, præsertim, cum sacra peraguntur mysteria; idque sub pœna arbitrio nostro infligenda, præcipuè Ecclesiasticis personis, si eas delinquere contigerit.

Ca. omnis presbyt. de cons. dis. 4. cap. aquã. dis. 3.

Cap. non ops. de cõs. d. 1.

Sess. 22. decr. de obs. er. & euit. in Miss.


Cap. IV.

De immunit. Eccl. li. 6 cap. 2. Pius V. Conf. q. incip. cũ primũ de sust. Eucharist. cap. 2.

IN Ecclesijs nulla de cœtero fiant vniuersitatum parlamenta, siue quarumcumque personarum congregationes, & concilia. In eisdem nullius deponantur bona cuiuscunque sint generis absque licentia nostra, nullus pernoctabit siue vir, siue mulier etiam vigiliarum, & fœstorum dierum occasione; nullus mercabitur, aut merces venales exponet, sed id tantum fiet, ad quod factæ sunt. Per earundem vero ambitum, præsertim cathedralis ludere etiam trocho prohibemus, idque sub pœnis in edictis nostris contentis; & caueant omnes ne Ecclesiarum ambitus, in quibus fidelium cœmeteria olim erant, obscænis seruitijs deturpent; idque sub pœnis arbitrio nostro infligendis his qui contrafœcerint. Quare in earũdem atrijs, & vestibulis nolumus choræas duci, prophanas cantilenas decantari, negociationes, & præsertim nundinas fieri, aliaquè similia, ex quibus facile violari possunt Ecclesię. Per easdem minime licitum sit mendicare præsertim cum diuina persoluuntur officia, vt constitutione sua cautum reliquit Pius V. sanctæ recordationis Pontifex, & cui nos adhærendo, nolumus siue in limine, siue prope aquæ benedictæ fontem pauperes, seu iacentes, seu stantes eleæmosynas quærere, sed tantum ante Ecclesiarum fores.

Clem. 1. de celebr. Missarũ.

vbi supra, §. pauperes.



Cap.

Cap. V.

NOn ſine graui animi noſtri mœrore, cũ Diœcesim luſtraremus, tàm in ciuitate, quàm in ſuburbijs, alijſq; ipsius terris, & oppidis, quam plures Ecclesias, eaſq; beneficiatas, vel temporum iniuria, vel rectorum negligentia quod magis nos vrget, dirutas vidimus; & quod pœius eſt, abſque vlla ſpe, quod reſtaurari poſſint. Et licet ex ſacri Tridentini Concilij decreto, eas vel in cathedralem, vel in alias viciniores translatas viderimus, earundemque nonnullas nos ipsi tranſtulerimus, nihilominus huic malo occurrere volentes, & quod fidelium piæ voluntates, quæ fuerunt executioni mandatæ, pro viribus conſeruentur, committimus admodum R. generali Vicario noſtro, vt omni executione poſtposita, & abſque vllius perſonæ acceptione, omnem adhibeat diligentiam, vt ea quæ pro earundem reſtauratione, siue tamquam ordinarius, vel etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus decreuimus, omnino executioni mandentur, etiam ſequeſtrando fructus, & redditus, omniaque iuris, & facti remedia adhibendo. De cœtero vero nec edificentur Eccleſiæ, ſeu oratoria, & etiam religioſorum monaſteria, vel in ædificatis Altaria erigantur, aut deſtruantur, vel aliquid circa ea addatur, vel minuatur, etiam ſi ſacræ Imagines ſint, abſq; licentia noſtra. Hortamur verò omnes, qui ad Eccleſias accedunt, vt ſemper præ oculis habeant, quod ad domum Dei viſitandam deſcendunt, & ſemetipſos in conſpectu Dei, ſancto-

Seſſ.21.c.7 de reform.

C. ſicut nõ alij c. Cleric. qui ca. nullis pres byt. c. nemo de conſecr. d.1. cap. de Monac. 18 q.2. et ibid. c. quidam Cõc. Trid. Seſſ.25 c.3 de reg.

rumque eius ſtatuunt; quare decet eos cum omni humilitate, & reuerentia in domo Dei conuerſari, exemplo publicani, qui à longe ſtans oculos ad cęlum non audebat leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.

Luc. 18. b

Cap. VI.

OMnes beneficia Eccleſiaſtica habentes, memoria firmiter tenebunt, ſe non ſolum iuramento, verum etiam ſub beneficiorum priuationis pœna obſtrinxiſſe, bona tàm ſtabilia, quàm mobilia, actiones, obuentiones, iura beneficiorum, & Eccleſiarum que ipſis commiſſæ ſunt, nullo pacto alienaturos, vel diſtracturos. Quamobrem non ſolum in transgreſſores pœnis à iure ſtatutis, etiam priuationis animaduertemus; verum vt Eccleſiaſtica bona quantum fieri poteſt conſeruentur, volumus quod quamprimum, ſeu tempore per nos inferius aſſignando, quicunque beneficia Eccleſiaſtica habent, exhibeant inuentaria omnium bonorum ſuarum Eccleſiarum cum ſuis finibus, & terminis; nec eis vlla admittatur excuſatio, quod alias dicta inuentaria exhibuerint, & quod ad ea ſe referunt, idque ſub pœna vigintiquinq; ducatorum, his qui non paruerint. Locationes, ſiue quas dicunt gabellas dictorum bonorum non faciant vltra triēnium, nec ſine ſcripto, cuius copiam, vel ſaltem minutam ad nos tranſmittant intra menſem, in Archiuio Epiſcopali conſeruandam, idq; ſub pœna ducatorum decem. Permuta-

Extrau. ambitioſe de rebus Eccl. non alienam.

Sixtus V. conſt. quæ incipit pro uida Romani Pōt.

Extrau. ambit. vbi ſupra.

mutationes nullas fieri volumus nobis inconsultis, nec etiam census, seu quos dicunt perpetuos canones, & nullo pacto cum potestate affrancandi, seu liberandi; sed hæc omnia cum per nos fuerint examinata, quod in euidentem Ecclesiæ vtilitatẽ fiunt, tunc curabunt habere Sedis Apostolicæ consensum, & beneplacitum, & eo intra præscriptum temporis terminum non habito, irritæ omnino censeantur, & nullæ.

Cap. VII.

IN nonnullis Diœcesis nostræ locis ab eorum incolis soluuntur sacerdotibus decimæ, quæ ab aliquibus mutato nomine nuncupantur Canonico, ab alijs Cenerico, aliquãdo. Inglisiastico, & demum Artentico; que cum populorum negligentia, & paruo admodum Dei timore, nec non rectorum incuria ferè in desuetudinem abierint, ne tanto ingratitudinis peccato fideles inquinentur, & pœnis à sacris canonibus inflictis subijciantur, iubemus omnibus, & singulis, ad quos de iure huiusmodi decimarum solutiones spectant, vt quocunque nuncupentur nomine, eas quibus legitime debentur, integre iuxta locorum consuetudinem persoluant. Nec liceat Parochis, vel quibus debentur, quouis pacto super earundem solutione cum suis subditis componere, seu transigere, idque sub pœna, quæ alienatoribus Ecclesiasticorum bonorum debetur; & ne tam ipsi, quam qui ad decimarum, solutionem tenentur, per quamuis prætensam ignorantiam excusari valeant; sacro-

c. admo- nem⁹ cum seq. 16. q. 2. Cõc. Trid. Seß. 25. c. 10. de ref.

In extr. ambitiose.

vbi supra. sacrosancti Concilij Tridentini decretis inhærendo, in quibus multa de decimarum debito, & solutione habentur, volumus Parochos, & verbi Dei concionatores tàm in Aduentu, quàm in Quadragesima publicè docere populum de earundem solutione, & quod est de iure diuino, & quantis pœnis eas non soluentes subijciuntur, & demum quòd ad restitutionem tenentur, qua omissa, peccatum non remittitur.

Exo. [22. 23. d
Leu 27. c
Num. 18. a
Iob. 1. f
Mal. 3. g

Cap. VIII.

Cap. fratres. 17. q. 4 ca. inter alia extr. de Immu. Eccl ca. 2. & in fi. de his qui ad Eccl. confugiunt.

SCiant omnes non solum Ecclesias, & earundem bona, verum etiam personas ecclesiasticas immunitate gaudere. Quare nullius vniuersitatis decreto, vel constitutione ad gabellas, seu quasuis alias taxas nouas soluendas compelli possint, idque sub excommunicationis latæ sententiæ pœna. Nullus etiam officialis, seu quisuis potestatem laicalem habens easdem detinere, carcerare, seù quouis modo illis violentiam inferre, aut processare sub eadem pœna audeat, præter quàm si infraganti eas inuenerit, quo casu detinere, & vt ad nostrás carceres eas conducat requirimus, & hortamur. Volumus autem Sacrosancti Concilij Tridentiui decretis inhærendo; quòd Clerici primam tonsuram, vel quatuor minores ordines habentes, vt hac immunitate, forique priuilegio gaudeant, non solum bullas suæ promotionis habeant, verum in habitu, & tonsura Clericali incedant; & quod Cathedrali, seù Archi-

Sess. 23 c. 6

præsby-

præsbyterali, vel propriæ Parochiali inseruiant, vel ad aliquod Ecclesię ministerium applicati sint, prout in eodem Concilio habetur.

DE SACRISTIA, ET SACRISTAE OFFICIO.
Tit. XIV. Cap. I.

DEo nobis auxiliante in Cathedrali nostra Sacristiam nullam speciem habentem, restituimus, eidemque armarijs, & capsis suis locis aptè dispositis aliquam formam dedimus, & vt de cœtero ordinatè omnia fiant tàm eidem, & cathedrali; quàm canonicis, & cappellanis, nec non sanctissimi Sacramenti sodalibus ad eorum mobilia, sacramque suppellectilem conseruandam, propria loca destinauimus. Quare de cœtero nullus sub quinque ducatorum pœna eiusdem sacristiæ conseruationi applicandorum, in eadem capsas, scriniola, seu quęuis huiusmodi ad pallia, seu coctas, aliaque recondenda, retinere audeat; & quilibet stipum sibi consignatum curare, & tueri teneatur. Cum verò alicui ex promouendis ad canonicatum, siuè ad capellam dabitur possessio beneficij, simul etiam per Notarium assignabitur locus pro suis mobilibus reponendis. Vtque Cathedralis Ecclesiæ vestigia sectentur aliæ; hortamur omnes parochialium rectores, eisdemque præcipimus, vt quàm primum in proprijs Ecclesijs sacristias habere curent, easq; quantum fieri potest ornatas, & decentes, nec non tutas, & quamprimum conficiant illis portas, & seras, quibus bene claudantur.

Cap.

Cap. II.

NOn ſolum ſacriſtia deſeruit ſacræ ſuppellectili, ſanctorumque reliquijs conſeruandis; ſed locus quaſi ſecretus eſſe debet, in quem ſe recipiant Sacerdotes ad orandum, propria confitenda peccata, ſacras veſtes accipiendas, & ad Miſſæ ſacrificium ſe diſponendos. Cumque in oratorio nemo aliquid agere debeat niſi ad quod factum eſt, Sacerdotibus, ſeù alijs Clericis, ſub pœna arbitrio noſtro infligenda (his præſertim qui per ſacriſtam moniti contrafecerint) non liceat in ea ad longum colloqui, ſeu confabulare, vel quouis modo ſacriſtæ, & celebraturis impedimento eſſe. Curabit verò ſacriſta, quòd in ea ſemper adſit aqua cum manutergijs ad manus abluendas, intortia, & candelæ promiſſis celebrandis cum tintinnabulis, ſintque paramenta non diſſuta, & ſordida, ſed compoſita, & nitida, præſertim amictus, alba, cingulum, purificatoria, & corporalia, quę cum opus fuerint per aliquem in ſacris conſtitutum lauentur: quòd etiam de calicibus ſuo tempore fieri iubemus. Non deſit vinum album bonum pro ſacrificio, nec non vrceoli ad ipſum pariter, & aquam ſubminiſtrandam. Adſint particulæ orbiculares ad Chriſti fideles communicandos, & denique ea omnia, quæ pro Dei, & Eccleſiæ ſeruitio requiruntur. Ipſe vero ſacriſta, vt decet rerum ſacrarum miniſtrum, dum ſacra fiunt, incedat cotta indutus, & toto corporis greſſu ſe modeſtum, nec non in verbis grauem, & morigeratum oſtendat.

S. Aug. in reg.

Cap. omne presb. a de conſ. d. 4.

Cap.

Cap. III.

CAntoris erit per ſingulas hebdomadas tabellam conſcribere,eandémque loco competenti in ſacriſtia affigere, idque ſabatho futuram hebdomadam præcedente, in qua deſcriptum ſit de quo ſingulis hebdomadæ diebus faciendum ſit officium, Miſſaque cantanda, item cuius erit in diaconatus, & ſubdiaconatus miniſterio ſacro Altari deſeruire. Deſcribet etiam duos, vel tres clericos minores, qui auxilio ſint Sacerdotibus ſacrum facientibus. Præcipimus verò Aeconomo noſtro, & Reuerendi Capituli procuratori, nec non duobus Capellanis, quos nominabimus quòd intra decem dierum ſpatium debeant in ſcriptis redigiſſe ad quem numerum Miſſarum celebrandarum teneatur menſa Epiſcopalis, capitulum, nec non ſinguli ex Capellanis, & quæ Miſſæ celebrari debēt; quarum omnium tabellam in Sacriſtia affixam eſſe volumus, vt curare poſſit ſacriſta quod debitæ perſoluantur. Nullus nobis, aut Vicario noſtro inconſultis, audeat buxulo in quo hoſtiæ conſeruantur, ſchedulam apponere, qua hortentur Sacerdotes ad orandum in Miſſis. Et demum curet ſacriſta quòd tàm Altaria, quàm Sacerdotes celebraturi his vtantur paramentis, quæ pro temporum differentia, & qualitate requiruntur, & quòd Sacerdotes nõ vtantur ſtolis, & manipulis, qui cũ caſulis, & planetis nõ ſint eiuſdem coloris. Quæ diximus de Cathedralis ſacriſtia, & ſacriſta, ſeruari volumus ab omnibus alijs Eccleſiarũ

rectoribus per semetipsos, seu alios clericos quos idoneos iudicauerint, idque sub arbitrij nostri pœnis.

DE CAMPANILI.
Tit. XV. Cap. I.

CAmpanile cathedralis nostræ reperimus campanis satis plenum, veruntamen pro maiori parte confractis,& quæ cum pulsarentur non modo vllam melodiam non resonabant, verum audientium aures offendebant. Et cum Deo dante, illas restituerimus,condecens est vt omnem adhibeamus diligentiam ad ipsas conseruandas. Curabit igitur sacrista illud semper obseratum claue tenere, ne peruius sit omnibus in ipsum aditus; simul etiam vt sit mundum tàm in tabulatis, & schalis, quàm exterius, & interius propè terram, & si quos inuenerit illud quomodolibet deturpantes, vt poterit corrigat: vel ad nos, seu Vicarium nostrum rem deferat ad oportunum, adhibendum remedium. Nullo pacto admittat laicas personas ad pulsandum, nisi earundem probitas, & discretio sit illi nota, quòd etiã de pueris non admittendis intelligimus, idque absq; exceptione aliqua. Similiter nolumus cãpanas pulsari nisi ad pios, religiososq; vsus; & cum deceat Cathedralis Ecclesiæ exemplum alias (& presertim curatas) Ecclesias imitari, volumus quòd in singulis Parochialibus adsit campanile cum duabus campanis ad minus, maiori scilicet, & minori. In reliquis verò saltem vna, si plures pro reddituum tenuitate

neque-

nequeunt fieri. Quod si campana aliqua ab vna, ad aliam Ecclesiam translata fuit, præcipimus eam ad propriam Ecclesiam reportari intra spatium vnius mensis; idque sub pœna ducatorum vigintiquinque.

Cap. II.

NOn erit sacristæ pro libito vnam, vel plures, aut etiam omnes campanas pulsare: verum pro fœstorum, aliorumque dierum qualitate, & solemnitate, modò vnam, modò duas, & quandoque tres, & omnes pulsabit, iuxta rubricam sibi assignandam. Singulis diebus in aurora, meridie, & vesperi ter ternis ictibus campanam maiorem pulsabit; quibus horis hortamur omnes Christi fideles diœcesis nostræ, vt capite denudato, & flexis genibus, præterquàm in tempore paschali, beatissimam Dei Matrem salutent cum antiphonis, & orationibus dici solitis pro indulgentia consequenda. Probamus etiam consuetudinem nuper introductam pulsandi cāpanam post dimidiam noctis horam in estate, & post integram completam in hyeme, ad excitandos fideles, vt pro animabus in Purgatorio detentis orationes, & præces offerant. Consuetudinem admodum piam pulsandi campanas ad aeris tempestates repellendas, & commonefaciendos fideles, vt ad Ecclesiam accedant, Deoque preces offerāt, vt antiquam in Ecclesia, & à sacris ritualibus probatam, obseruari volumus, dummodo non ad arbitrium cuiuslibet hoc fiat, sed de licentia nostra, vel Vicarij generalis: quod

Cap. pro obuentibus ca. anima 23. q. 1. Cōc. Trid. Sess. 24. de Purgat.

quod etiam dicimus de ipsis pulsandis pro adiuuandis mulieribus in partus angustijs positis.

Cap. III.

CVm pro mortuorum exequijs campanæ omnes pro personarum qualitate pulsandæ erũt, quòd solet esse signum cõuocandi capitulum,& totum clerum ad tumulandum defunctum, id facere nullo pactò audeat Sacrista Reuerẽdi Capituli procuratore inconsulto,nisi velit expensis omnibus,quę nomine eleæmosinæ capitulo debẽtur subiacere. Et potiatur sacrista cum socijs pro huiusmodi campanarum pulsatione, mercede quæ dari solet, præsertim postquam alijs campanis additis, eorum etiam labor est auctus. Non solum in Cathedrali, verum etiam extra Ciuitatem in Matricibus, seu Archipresbyteralibus Ecclesijs volumus, & mandamus obseruari, vt in eleuatione Corporis Christi, quæ fit in Missa maiori, pulsetur campana; quòd etiam dicimus de pulsandis vesperis singulis diebus in præfatis Ecclesijs, & Parochialibus insignioribus, idque sub pœna transgressione condigna non parentibus.Quæ verò de campanarum pulsatione, & horis, quibus pulsandæ sunt, superius diximus, ad omnes curatas Ecclesias diœcesis respectiuè extendimus; hoc adijcientes, vt Sabatho sancto nullus etiam exemptus, & regularis campanas pulsare præsumat priusquam in Ciuitate eas pulsauerit Cathedralis, & per Diœcesim Matrices, seu Archipresbyterales Ecclesiæ, id-

que

que ſub pœna ducatorum centum in Ciuitate, per diœceſim verò vigintiquinq; applicandorum locis pijs provt de iure debetur.

DE CHORO, ET DIVINIS OFFICIIS.
Tit. XVI. Cap. I.

VT diuinam illam maledictionem vitemus, quã ſeruis Dei comminatur Propheta dicens, Maledictus omnis qui facit opus Dei negligenter, omnem diligentiam adhibeamus oportet in canonicis horis perſoluendis, ſacriſque in choro faciendis. Igitur ex ſacrorum canonum inſtitutione non ſolum reuerenter, & deuotè in chorum accedendum eſt, & omnes ſuis cottis, & ſuperpelliceis induti eſſe debent pro perſonarum differentia, & qualitate, verum etiam ab exiſtẽtibus in choro ſilentium omninò obſeruari volumus. Singuli in ſuis ſedibus ſedeant, & in ipſis modeſtè ſe contineant, non oſcitando, aut dormiendo, vel manibus, & cubitis complicatis cohærendo, ſed cum omni modeſtia, & quãtum fieri poteſt ſanctos Angelos imitando, qui in conſpectu Dei pſallunt. Curent habere cottas nitidas, & dealbatas, quòd etiam de collaribus dicimus, & de biretis; quę pariter munda, & minime maculata eſſe debent.

Nullus per chorum vagetur, niſi propter diuinæ rei ſeruitium, nec de punctis, cauſis, mortuorum exequijs, alijſque huiuſmodi à procuratore, ſeu ab alijs aliquid in choro tractetur, nec aliquis dum diuina aguntur, horas canonicas priuate recitet, libros, ſeu lite-

Ier. 48. b

C. 1. de immun. Eccl. lib. 6.

Ca. in loco benedict. 5 quæſt. 4.

S. Cyp etc. b quoniam exponi Narrat de orat & horar. ca. 13. num. 24.

literas legat, aut quoduis aliud faciat, vt de omnibus dici possit, ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. Canonicis, & Personatibus siue pluribus, siue vno in chorum accedentibus, omnes alij canonici, & personatus assurgant, & denudato capite eos recipiant, nec sedeant, donec accedens fuerit in propria sede collocatus; quod multo magis erga hebdomadarium, & cantores cum venerint pluuialibus induti, obseruandum est. Ipse verò accedens cum in medium chori venerit, primum inclinet coram nobis si in choro erimus, deinde omnibus canonicis in dextro choro existentibus, & postea in sinistro, & demum ad suam sedem vadat, in quam cum se recœperit, non genuflectat, & orationem faciat ad Altare conuersus, sed statim stet, vel sedeat, provt cœteri sedent, vel stant.

Psal. C. 33.


Cap. II.

Ex ea parte chori hebdomadarius maneat, & diuinum inchoetur officium, intonentur antiphonæ, psalmi, legantur capitula, orationes, & reliqua per hebdomadarium persoluenda fiant in qua per hebdomadam chori tabella est affixa. Quod si noluerint dignitates, & canonici proprium stallum mutare, eo casu per aliquem alium superiorem, vel inferiorem existentem in choro ex parte tabellæ, hebdomadarij officium adimpleatur; & hoc volumus ita stricte obseruari, vt pœnæ vnius ducati sciat se esse subiectum is, qui contrafecerit. In festis dupli-

plicibus, in quibus hebdomadarius pluuiali indutus choro adesse debet, si nos in choro erimus, stabit in sinistra parte chori in prima sede, nõ obstante quod tabella chori sit à parte dextra, idque ea ratione, quòd prima sedes post Episcopum danda est hebdomadario pluuiali induto: si verò absentes erimus à choro, pro ipsius chori differentia stabit in prima sede dextri chori etiam supra Vicarium, vel in prima sinistri, si tabella fuerit in sinistro choro: decet enim (vt dictum est) hebdomadarium sic indutum in digniori loco illius partis stare, in qua officium suum est peracturus. Quod etiam volumus obseruari in diebus sabathi, cum in capella sanctissimæ Deitriæ laudes recitantur. Cantores cum erunt pluuialibus induti, vel sedebunt in primis sedibus inferioribus vtriusque chori, vel in schabellis super omnes alios sedentes in ipsis. Cum erit in choro aspergenda aqua benedicta, dandum incensum, siue pax, si nos erimus in choro, primi aspergemur per ipsum Sacerdotem celebrantem: incensabimur verò, & recipiemus pacem per maiorem ex dignitatibus. In vesperis autem Sacerdos pluuiali indutus, & qui hebdomadarij officio fungitur incensabitur ad Altare, priusquam in chorum veniat: haud enim condecens esse videtur nos post hebdomadarium in choro existentem incensari, vel ipsum hebdomadarium ante omnes incensum non recipere; fiet igitur vt dictum est. Nobis verò incensatis, dabitur incensum Vicario nostro, & demum existentibus in ea parte chori in qua est affixa tabella, prout moris est

huius


huius Ecclesiæ. Idem dicimus de aspergendo post nos Vicario, eidemque pacem dando. Cum in choro erimus, dignitates, & canonici in superioribus sedibus stantes, nobiscum qui proximior erit confessionem faciet, reliqui verò inter semetipsos bini, & bini; nobisque sedentibus sedebunt, & assurgentibus assurgent, & similiter genuflectent. Quando verò pro temporum, & festiuitatum exigentia in Sede pontificia maiori, & quæ est proximior Altari stabimus, ea omnia obseruabuntur ad vnguem, quæ in Pontificali Romano præcipiuntur obseruari, dum Missa cantatur Episcopo præsente. Quare omnino abolemus cæremonias quasdam (sed melius abusus) introductos vt sunt, quod Sacerdos celebrans facta confessione osculetur manum Episcopi, & idē faciat finita Missa postquam Episcopus benedixerit populo: & quòd Episcopo benedicente fiet genuflexus ante eum; & quod grauius adhuc est, incensandi Episcopū priusquam incensetur Sacerdos celebrans; & quod aliquando non sine scandalo factū fuit, incensandi superiorem per ipsummet celebrantem, & alios huiusmodi (vt diximus) abusus, qui veris, & germanis ceremonijs contrarij sunt volumus enim in omnibus (vt dictum est) eas tantum obseruari, quæ scriptæ habentur, & arbitrarias, voluntariasque ceremonias prorsus omitti.



Cap.

Cap. III.

HVnc etiam vſum in cathedrali noſtra inſurrexiſſe cognouimus, quòd ſæpe ſæpius, & ex qualibet leuiſſima cauſa mutatur ordo diuini officij, nec iuxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & noui Kalendarij inſtitutionem recitatur; verum pro deuotione quarundam reliquiarum, quæ apud nos ſunt, & ſanctorum particularium, ſeu in honorum alicuius Eccleſiæ, vel Capellæ etiam ruralis, de illis ſanctis officium fit, quorum reliquiæ habentur, vel quibus ſunt dedicatæ Eccleſiæ, ſeu Capellæ, quem tamen reformare volentes his præſertim de cauſis, quòd valdè condecens eſt Romanum ſequi ritum, volumus, & præcipimus cantori, vt omnino curet officium, & Miſſam celebrari ſingulis diebus provt in ordine Romani officij habetur, exceptis diebus feſtiuis Sancti Philippi de Argirò, Sancti Antonij de Hieracio, & Sanctæ Venereæ. Et præterea aliquorum Sanctorum dies, qui ex antiqua ciuitatis conſuetudine ſunt feſtiui; celebrentur non ſub ſimplicis, ſed ſub duplicis ſolemnitate, vt eſt feſtũ Sancti Panthaleonis, & dies feſti Sanctorum, qui ſunt patroni locorum diœceſis reſpectiuè ad loca, & ſanctos. In reliquis omnibus ſiuè dominicis, ſiuè ferialibus diebus obſeruetur (vt dictum eſt) nec aliter fiat, conſulta prius Romæ ſacra Cardinalium Congregatione, qui ritibus explicandis ſunt præfecti.



Cap. I V.

LIcet oculata fide cognouerimus pauperes admodum, & tenues esse distributiones, quę canonicis, & capellanis diuinum officium persoluentibus dantur, & nobis cordi sit (Deo auxiliante) illas augere etiam apud sanctam Sedem Apostolicam intercedendo, & procurando: interim tamen haud admittimus quod ab aliquibus dicitur, nolumus accedere, nolumus etiam distributionibus gaudere, quãdoquidem si id ab omnibus diceretur, quod fieri facile posset, rem in exemplum deducendo, non haberet Ecclesia canonicos, seu cappellanos, per quos diuina persoluerentur officia. Quare vnusquisq; per suam hebdomadam curet choro interesse, & illa subire ministeria, ad quæ ex dignitate, & officio tenetur; idque non solum sub pœna, quæ per punctatorem signatur, verùm etiam alia arbitrio nostro infligenda in eum, qui neglıgentissimus repertus fuerit. Singulis sabbathis volumus omnes completorio, & laudibus adesse, quod etiam intelligimus de diebus dominicis, & alijs festiuis: prout in tabella super hoc confecta adnotauimus, indecens enim, & indecorum valde est, vt populo in Ecclesia sacris officijs adsistente, canonici, & cappellani, qui ipsi exemplo esse debent, per plateas, & vicos spatientur.

Cap. vnic. de Cleric. non resi- den. in 6.

Cap. V.

HAbet chorus punctatorem suum, cuius vt sunt partes choro prospicere, vt debito non defraudetur obsequio, & absque personarum acceptione negligentes notare, atque distributionibus priuare; ita etiam aduenientibus in chorum debet auxilio esse, & operam dare, vt illis distributionibus potiantur, quibus negligentes priuati fuerunt; hac enim lege cum ad hanc Ecclesiam aduenissemus, inter alia, capitulo concessimus, vt puncta de cœtero non applicarentur alijs pijs operibus, prout tempore antecessoris nostri applicabantur. Curabit igitur inter primos choro adesse, & in promptu habere de quo agendum sit officium, & cantanda Missa, & vnà cum cantore diligentiam adhibere, vt distinctè, & clarè psallatur, sitque psalmodia nec nimis morosa, seu celer, sed mediocri cursu legatur, siuè etiam cantetur, & præsertim quòd in singulis versibus ea fiant puncta siuè flectendo, siuè mediando, quæ sunt notata, nec ab alio choro inchoetur versus, donec à priori distinctè antecedentis versus vltima syllaba prolata fuerit. Idem obseruari volumus ab hebdomadarijs in recitandis capitulis, orationibus, & alijs, vt enim non intendimus eos ad morosam, & prolixam psalmodiam obligare, quæ monachorum, & hæremitarum est propria, ita nec censemus satisfacere, & sine peccato horas persoluere, cum ita tractim recitantur, & tàm frequenti verborum collisione, vt ab adstantibus vix auditu percipi possit,

Summissa omnes ver. Hora canonica.

possit, quod dicitur. Qui ad gloria patri primi psalmi, seu ad Kyrie in Missa pręsens in choro non fuerit; signabitur per punctatorem, & priuabitur distributione illius horæ, & Missæ; & licet condonemus prout cõdonantur singulis hebdomadis his qui sunt de hebdomada tria puncta, haud tamen volumus, quòd omnibus eodem die condonentur, vel singuli eodem die illis gaudeant, sed sat cuilibet esse debet, vt si ter in hebdomada à choro absentes fuerint, huiusmodi absentiæ ratio non habeatur.

Cap. VI.

PEr totum annum singulis secundis ferijs volumus cantari Missam de requiem cum orationibus, & responsorio post Missam; quòd si propter festum aliquod fieri non poterit, transferatur in aliam feriam vacantem; & sciant quòd in diebus, in quibus duæ Missæ dicendæ sunt in choro, non solum Missæ quæ cantatur adesse debent hebdomadarij, verum etiam illi quę legitur adesse tres saltem ex ipsis; ita enim vna sicut altera est Missa, ad quam tenetur chorus, & choraliter persolui debet. Caueant ne dum post Missam maiorem horæ recitantur, vel in Quadragesima vesperæ eo tempore dicatur in Altari maiori Missa quarta, quam non nisi completo officio in choro incipi volumus; idque sub pœna arbitrij nostri transgressoribus. De cætero cum nos solemniter celebrare

DE

DE SANCTISSIMO MISSAE SACRIFICIO.
Tit. XVII. Cap. I.

MIssa, quæ memoriale est peremne passionis Domini nostri Iesu Christi, & qua patri misericordiarum, & Deo totius consolationis incruento sacrificio, filius suus pro nobis immolatus iugiter offertur, omni est deuotione facienda, eidemque attente assistendum non solum cum est de præcepto; verum etiam cum ex deuotione, vel pia populi consuetudine celebratur. Quare celebraturi Sacerdotes corde puro, conscientia bona, & fide non ficta ad sanctum Dei Altare accedant, & his indumentis ornati, quæ ex sacrorum rituum dispositione requiruntur, populusque qui Missæ dum celebrantur est præsens, cordis humilitate, corporisque compositione tantis mysterijs incumbere debet. Sit igitur accuratus Sacerdos in prouidendo quæ legenda, & facienda sunt in Missa; ne barbarismis, solæcismis, sillabarum collisione indecenti, & sordido habitu, alijsque huiusmodi mentes perturbet astantium. Stet etiam genuflexus, vel erectus pro tempore populus, vt cum silentio audiat, & attendat his quæ fiunt, ne euagandi ab eo quod intendere debet, occasionem præbeat Sacerdoti. Curet sacrista quòd Sacerdotis indumenta sint munda, non dissuta, non consarcinata: hostiæ albæ, corporalia, & purificatoria nitida, calices, missalia, & reliqua benè composita, vt superius dictum est; nec non canes abijcere, mendicantes, & quæstuarios coercere, eaque omnia

Côc. Trid. Sess. 22. c. 8 & 24.

Vbi supra c. 4. & 5.

Pius V. Const. quæ incip. cum primum.

nia amouere, quæ cum celebrantis, tum adstantis populi deuotionem impedire possunt.

Cap. II.

Cōc. Trid. Sess. 22. dec. de obs. & euit.

IN Missarum celebratione eæ adhibeātur, & omnino obseruentur cæremoniæ, quæ in Romano Missali in rubrica de ritu celebrandi Missam habentur, & vt vniformis earum vsus habeatur ab omnibus, ad nouæ Missæ celebrationem non admittantur nuper ordinati Sacerdotes, nisi per magistrum ceremoniarum, vel alium cui iniunctum fuerit, Nobis, vel Vicario nostro fides fiat, eos rectè cæremonias didicisse, & absque errore celebrare posse. Obseruetur etiam tempus, & locus, ita vt non nisi Ecclesijs, cappellis, oratorijsq; ad hoc designatis, & approbatis celebretur, nec etiam horis incongruis, vt est ante auroram, & post meridiem, excepta nocte Natiuitatis Domini Nostri, in qua ex sacrorum canonum dispositione in media nocte celebrari potest, quòd de prima tantum, non de duabus sequentibus Missis est intelligendum. Transgressores, & non obseruantes tempus, & locum debitum, suspensionis pœnam aliasque nostro imponendas arbitrio sciant se subituros. Celebraturi Sacerdotes ex sacristia non exeant nisi delatis ad Altare luminibus, & vrceolis, & reliquis quæ sunt necessaria; anulos deponant, nisi sint in dignitate constituti, item lignea calceamenta, & sandalia, & detecto capite sacrum faciant. Nemini peregrino, & ignoto Sacerdoti asque ordinarij

C. Missarū, c. sicut cap. nullus presbit. ca. non ep. de cons. d. 1.

C. soluis. de celebrat. Missarū.

Ca. nullus Episco. de cons. d. 1.

narij sui dimissorialibus literis non solum in Ciuitate, verum etiam per diœcesim celebrandi detur facultas; quòd etiam de publicè, notorieque criminosis intelligendum est. Coc. Trid. vbi supra, & Sess. 23. c. 1. 6.

Cap. III.

CErtum Missarum, & candelarum numerum, & reliqua quæ superstitionem sapere possunt, à tanto sacrificio omnino remoueantur, & si quos cognouerimus Sacerdotes qui mercede, vel quauis alia causa ducti hæc fecerint, grauiter provt sacra iura volunt in eosdem animaduertemus. Quia verò omnis turpis lucri, & simoniæ labes à Missarum celebratione abesse debet; ideò cuiusuis generis mercedis conditiones, pacta, & quicquid pro missis votiuis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleæmosinarum exactiones, potiusquam postulationes, aliaque huiusmodi omnino prohibemus. Hortamur autem in Domino fideles omnes, vt tantum Sacerdotibus celebrantibus eleæmosinæ elargiantur, quantum sufficiens sit ad eorum vitam illo die substentandam, sintque ad minus sex, vel quinque grana monetæ vsualis. Postremò tandem loco Sacerdotes monemus, eisdemque pręcipimus, vt festiuis diebus, & quando Missa audienda est de præcepto, illis horis celebrare velint quæ commodiores sunt populo, nec enim decet, vt ab omnibus eodem tempore Missæ celebrentur. In parochialibus verò, & Matricibus Ecclesijs, in quibus matrimonio-

Coc. Trid. Sess 22. loco super citato.

Sotus 4. d. 13 q. 2. d. 1 § quo cir. Nau tr. in summa c. 25. nu 92.

moniorum edicta, vigiliæ, festi dies sunt renunciandi, & docendus per parochum populus; nullus Missam celebrare audeat ante ipsum parochum, vel absque ipsius licentia; nec parocho liceat vel ante lucem, vel post meridiem celebrare, sed competenti hora, qua populus adesse possit, & signo cum campana sæpius facto secundum loci consuetudinem: quod etiam extendimus ad alias, non tamen exemptas Ecclesias, seu cappellas, quæ præter parochias in terris, seu casalibus habentur. Et quia experimento didicimus, quòd quamplures propter executiones, quæ pro ciuilibus causis, & debitis fiunt ab audienda Missa etiam diebus festiuis, & quando est de præcepto retrahuntur, idcirco prohibemus huiusmodi executiones fieri diebus festiuis, nisi à prandio, & completis Missis, haud tamen in ipsis Ecclesijs sub pœnis in constitutione felic. rec. Gregorij XIIII. contentis.

Cap. 1. de cons. d. 3.

Cõc. Trid. Sess. 22. loco sup. cit.

DE MORTVORVM EXEQVIIS, ET SEPVLTVRA.

Tit. XVIII. Cap. I.

IN sacris Scripturis legimus sanctam, & salubrem cogitationem esse pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, & Thobiam sepelliendo mortuos placuisse Deo. Quamobrem hortamur omnes, vt parentum, amicorumque, qui ex hoc seculo trãsierunt, misereantur, & pro eis eleęmosinas erogent, orationes, nec non S. Altaris sacrificium Deo offerant:

2. Matth. 12. Job 2. 6

rant: vel offerri faciant in ipsorum quoque corporibus hoc pietatis opus exerceant, vt ea sepulturæ tradant. Prosunt quæ pro mortuis fiunt ipsis, qui in Domino dormierunt, sed adhuc purgatorij pœnis tenentur adstricti. Sepultura verò præterquã quod nos à fœtore, & horrore, liberat, argumentum est futuræ resurrectionis, quando canet tuba, & mortui surgent incorrupti. Pro omnibus in Christo renatis orandum esse diuina suadent iudicia, quę vt sunt nobis occulta, ita scire non sinunt quisquam odio, vel amore sit dignus. Omnium etiam Christi fidelium corpora sepelienda sunt, præterquam eorum, quibus Ecclesiasticis decretis hoc est interdictum: Quibus autem ecclesiastica prohibita sit sepultura multis habetur in locis, & præsertim quòd ea carere debent, qui semel in anno propria peccata confessi non fuerint, & in Paschate sacra communione se ipsos non refecerint. Quare cum de aliquo suspitio suborta fuerit, hæc suo tempore non fœcisse, caueant Parochi ab illis Ecclesijs, seu cœmeterijs sepeliendis, nisi prius fide digno testimonio oppositum probatum fuerit. Quòd si fuerint peregrini, seu ignoti, rem ad nos deferant, vt de ea deliberemus. Et si quis ex parochis, seu alijs Sacerdotibus ad confessionum audientiam expositis, alicui testimonium falsò reddiderit confessionis, & communionis factæ in Paschatæ, sciat se non solum suspendendum esse à sacrorum ordinum executione, verum etiam alijs pœnis plectendum.

1. Cor. 15. g

Ro. 11. a.

Eccl. 9. a.

Silue. & alijs in summis, §. sepultura. c. omnis de pœnit. & remiss.

Cap. ex parte de sepult.

Cap. II.

Cap. 1. de sepult. Cōc. Lat. Sess. 2.

PArochis omnibus ius sepulturæ conuenit, quo ne defraudentur sacrosancti Concilij Lateranensis decretis inhærendo, præcipimus omnibus, etiam regularibus, & exemptis, ne quemlibet defunctum priusquam proprio Parocho id significent in suis Ecclesijs, vel locis sepelire audeant, idque sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Qua occasione ad memoriam reducimus regularibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna cautum esse, vt ad eligendam in suis Ecclesijs sepulturam neminem iuramento obstringant. Cum vero eorum corpora sepelienda sunt, qui cum sint nobilitate, & diuitijs præditi, maiorem honorem appetunt, si capitulum, & alij regulares ad exequias conuenerint; suas Cruces tàm capitulum, quàm regulares deferant, nec non Confraternitates, & alij, & eo ordine procedant qui nunc in Hieracensi ciuitate, & per diœcesim seruatur, Pauperum corpora curabit Parochus, vt sepeliantur ea maiori pietate christiana, qua fieri poterit. Non desint defunctorum hæredes eleemosinam, & candelas erogare; & sciant candelas, cereos, & reliqua luminaria, quæ cum mortuis ad Ecclesiam deferuntur, ita illi Ecclesiæ addicta esse, vt absque peccato, & furti nota distrahi nequeant; excepta quarta, quæ de iure, & consuetudine Episcopali mensæ debetur, etiam cum extra Cathedralem, & in alijs Ecclesijs defunctorum corpora tumulantur. In associandis defunctorum corporibus

Clem. vlt. de pœnit. §. vlt.

si capitulum exit cum toto clero, rationi admodum consentaneum est, vt maiori procedant apparatu, & honore. Quamobrem volumus omnes in Cathedrali Ecclesia, & in choro conuenire, & ex ea Cruce præcedente cum suis cottis, & almutijs binos, & binos omnes etiam regulares cum silentio exire, & procedere; & procuratoris capituli erit obseruare eos, qui in Ecclesia non conueniunt, & per iter ordinem perturbando processioni immiscentur. Procedant etiam hoc ordine, videlicet clerici minores, beneficiati, parochi, canonici, & dignitates; nec vnus ordo commisceatur cum alio, vt fieri sæpe vidimus. Defuncto ad aliam Ecclesiam quam cathedralem delato, omnes præterquam regulares, & confraternitates, eodem ordine Crucem ad cathedralem associentur; nec alicui liceat à processione discedere absque procuratoris licentia; idque sub pœna amissionis eleæmosinæ, quæ pro illa vice discedenti obuenit.

Cap. III.

INstitutum nostrum prosequendo, quo singulis annis antecessori nostro diem anniuersarium fecimus, volumus vt prima die post defunctorum omnium commemorationem, fiat in cathedrali anniuersarium pro Episcopis defunctis, & secunda die expensis capituli pro dignitatibus, canonicis, & capellanis, qui obierunt. Idem fiat à singulis parochis in suis parochijs, & ab archipresbyteris in Matricibus Ecclesijs, videlicet quòd hi faciant cantare Mis-

ſam prima die pro Epiſcopis defunctis, & ſecunda pro archipresbyteris, & alijs clericis, quorum corpora in eorum requieſcunt Eccleſijs; illis verò duas Miſſas lectas dicant, primam pro Epiſcopis, ſecundam pro Parochis, & alijs Sacerdotibus defunctis in eorundem Eccleſijs tumulatis. Idem fieri mandamus ab omnibus confraternitatibus pro animabus fratrum, & ſororum defunctarum. Poſtremò loco hortamur omnes Parochos, & Eccleſiarum Capellanos, eoſdemque monemus in Domino, vt diligenti cura defunctorum corpora cuſtodiant; nec vllo pacto patiantur eorum oſſa extra cœmeteria, & Eccleſias diſpergi; & quod abſque licentia noſtra corpora ab vna ad aliam Eccleſiam transferantur.

DE TESTAMENTIS, ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

Tit. XVIIII. Cap. I.

Eſa. 38. a ITa omnibus in Chriſto renatis cordi eſſe debet, quod per Eſaiam Prophetam Deo auctore Ezechiæ Regi dictum fuit, diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues, vt tanquam cuilibet ſingulariter dictum, debeant omnes; dum mente, & corpore ſani ſunt, de rebus ſuis diſponere, nec vltimas horas expectare, & in illud tempus incidere, quo nedum infirmitate grauamur, verum etiam dicere poſſumus, circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me, quibus omnibus ita opprimimur, vt dum plura intendimus, mi- *Pſal. 17. a*

nor fiat per singula sensus. Igitur de rebus suis omnes, qui de iure possunt, disponant, & illis præsertim personis executionem mandent, quas pietate, & charitate qua fulgent, sibi defuturas non verētur. Quòd verò de testamentis condendis diximus, eo magis adimpleri debet, quòd cùm intestati decedunt homines, nobis ex immemorabili consuetudine ius est acquisitum, vt certam bonorum decedentium partem pijs operibus pro eorū animabus applicemus. Quo circa animaduertant archipresbyteri, parochi, cæterique animarum curam habentes, multum differre quòd decedat aliquis intestatus, vel absq; Sacramentis; & minime tamen propterea quòd quis sacramenta suscepit, censendum est testatum decessisse, sed oportet, quòd vel scripto per tabellionem, & testes stipulato, de suis rebus disponat, vel coram Parocho, & testibus declaret legata pia, quæ facere intendit, quod dicimus tum ad eorum errorem explodendum, tùm etiam vt de cætero maiori zelo Cathedralis Ecclesiæ iura nobiscum prosequantur, & tueantur.

ex Archi. Hiracen. Cōc. Prou. Nea. de Testam.

Cap. II.

CVm ad hanc Ecclesiam accessimus, inter alia inuenimus prædecessorem nostrum regularibus interdixisse, ne fidelium, confessiones in articulo mortis audirent; quòd vt priuilegijs eorum, & sacræ regularium congregationis rescripto cōtrarium non admisimus; ita eosdem hortamur in Domino, & monemus, vt quæ iustitiæ, & gratitudinis ergo fœcimus,

Six. 4. in mare magno, & alij Pontif. in alijs priuil.

cimus, grato animo suscipiant, & iustè exequantur: nec enim desunt qui nos admoneant hoc mensæ Episcopali præiudicium afferre posse. Igitur testamentis condendis, legatis ad causas pias faciendis non se interponant, & omnino abstineant à sollicitandis testatoribus, vt potius huic, quàm illi pio operi applicentur. Idem dicimus de incertorum restitutione, & dispositione, quæ nobis reseruata est.

Gl. in c. 2. de pœn. & remi. & c. cum sic cir ca finem de Iudæis.

Cap. III.

INter alia quæ ex sacrorum canonum dispositione, Episcopo sunt delata, præcipuum locum obtinent, quòd legata pia suæ fidei, & executioni sint commissa; idque ne hæredum incuria, seu auaritia, defunctorum voluntates defraudentur. Quo circa volentes huic nostro muneri satisfacere, omnibus, & singulis tabellionibus, scribis, actuarijs, seu quouis alio nomine nuncupentur, sub excommunicationis pœna præcipimus, & mandamus, vt à notitia præsentis constitutionis intra duos menses teneantur omnia legata pia, quæ in testamentis per eos conditis, habentur, Nobis, vel archipresbytero, seu Vicario foraneo terræ, in qua commorantur significare, vt re quàm primum ad Nos delata, ea facere possimus, quæ ad Nos attinent. Deinceps verò post duos dies, quòd testamenta fuerint aperta, & publicata, idem sub eadem pœna significare teneantur in ciuitate parochis, in quorum parochijs testatores obierunt; extra verò ciuitatem archipresbyteris, sed Vicarijs

c. nos quidem, ca si hære. c. tua nobis. cap. Ioan. de Testam. Clem. quia contingit de reb. do. Cōc Trid. Sess. 22. cap 8.

carijs foraneis, qui nisi velint prænarratam subire poenam, intra tres dies Nos de legatis prędictis certiores facient; quòd etiam intelligimus de Sacerdotibus, qui à personis in extremis constitutis testamenta suscipiunt, eademque describunt.

DE PROCESSIONIBVS.
Tit. XX. Cap. I.

SAcrarum supplicationum institutum, quod ab ipsius nascentis Ecclesiæ primordijs initium sumpsisse credimus, maiori qua fieri potest cordis, corporisque compositione prosequendum est, tùm ad eas obtinendas gratias, pro quibus altissimo preces fundimus; tùm vt reuerenter astemus Domino, qui verbis suis est pollicitus, nobiscum in medio fore, quotiescunque in eius nomine congregabimur. Cum igitur siue ex Romanæ Ecclesiæ instituto, siue ex veteri ciuitatis, & dioecesis consuetudine, vel quauis alia causa per Summum Pontificem, vel Nos in dicta Processiones generales habendæ erunt, præterquam quòd significabuntur, vel concionatoris, vel publici præconis voce, pulsatione etiã campanarum, omnes qui conuenire debent conuocabuntur. Conuenient autem omnes clerici, siue seculares, siue regulares sint, & quantum ad seculares attinet, hoc extendimus ad omnes clericos, etiam si primam tonsuram tantùm habent, item Confraternitates omnes ciuitatis, idque sub poenis arbitrio nostro infligendis his, qui negligentes reperti fuerint.

S. Gregor. Nazianz. serm. de sacr. lum.

Matth. 18. c

Horta-

Hortamur Magnif. DD. Capitaneum, Sindicos, & Electos ciuitatis, aliosq; officiales, quod & ipsi provt hucusque foecerunt, conuenire velint. Regulares, & confratres conuenient cum proprijs Crucibus, & Vexillis, & omnes in Cathedralem se recipient, ex qua semper Processiones initium habebunt. Clerici omnes sub vna Cruce incedēt, provt infra dicemus, & singulis erunt talarib. vestibus, & cottis, induti, & cum biretis, nec non almutijs, qui illis vtuntur. Sacris verò vestibus induti erunt cantores, Sacerdos, cum ministris, & alij pro temporis oportunitate. In procedendo omnes incedent bini, & bini, graui corporis gressu, oculorũ compositione, & à colloquijs, & confabulationibus, alijsque puerilibus, risibus scilicet, & cacchinnis abstinebunt; & omnes alacri voce, & hylari corde cantabunt, quę cantanda proponentur.

Cap. I I.

INuenimus in hac Cathedrali moris esse deferre duas Cruces, tàm in supplicationibus, quàm etiam in mortuorum exequijs, quòd vt non abrogamus, sic de cętero aliquo ordine fieri intendimus, ne admirationem exteris pariat, & obloquendi prębeat occasionem. Qua propter sub vna Cruce procedet totus clerus, videlicet omnes tàm in minoribus, quàm in maioribus ordinibus constituti, nec non capellani, & parochi, sub alia verò canonici, & dignitates. In Processionibus is ordo pręcedentiæ omnino seruetur, qui vsque modo seruatus fuit, & serua-

seruatur; nec aliqui sub vigintiquinque ducatorum pœna ipsum perturbare audeat, quod etiam intelligimus pro regularibus, & sodalitatum confratribus. Si qui verò in aliquo se grauatos senserint, coram nobis compareant ad suas exponendas rationes, nec quouis pacto auctoritate propria aliquid innouent, sub pœnis vt supra. Quæ vero de processionibus obseruanda proposuimus, eadem per totam diœcesim, suis modo, & ordine obseruari decernimus.

Sixt. V. Constit. quæ incip. Sacræ sanc.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

Tit. XXI. Cap. I.

CLericos qui in sortem Domini vocati sunt, decet vt præ cæteris omnibus eius obsequijs, & seruitijs vacent, ipsique placere studeant; quare eos præsertim monemus, vt non solum bona prouideant coram Deo, & hominibus, verum vt sanctus pater Augustinus docuit, in incessu statu, habitu, & in omnibus eorum motibus nihil sit, quod aliorum offendat aspectum. Et ab ijs incipiendo qui clericali tonsura sunt initiati, iuxta sacrosancti Concilij Tridentini decreta declaramus, quòd in habitu, & tonsura incedant, & Ecclesiæ inseruiant, si volunt fori gaudere priuilegio; quòd etiam de constitutis in maioribus ordinibus dicimus, hoc addendo, quòd ostendant se ad vlteriores ordines progredi velle, & quàmprimum idonea etate, alijsque requisitis accedentibus, progrediantur. Qui sunt in sacris constituti

Ps. 15. & Cap. duo est 12. q. 1.

Cōc. Trid. Sess. 22. c. 1. de refor.

in regula.

Sess. 23. c. 6.

Clem. quoniã, §. dignit. de vita, & hon.

Cōc. Trid. Sess. 24. ca. 6. de refor.

Sixt. V. Consti. qua incip. Sacrosan.

tuti omnino talarem vestem induant, & tonsura maiori vtantur, quàm etiam adhuc maiorem Sacerdotibus indicimus, haud tamen æqualem illi, quam prælati deferunt, & quòd eam saltem ter in mense renouent, vt semper conspici possit. Barbam non habeant supra labia in retortos, longosque ceros effluentem, non cuneatam in mento, sed aptè detonsam tam in superiori parte, vt corporis, & sanguinis Domini sumptionem non impediat, quàm in inferiori, vt ipsis ornamento alijs vero sit ædificationi. *Bireta deferant non fronti, vel temporibus inclinata, sed capiti æqualiter imposita; Similiter pileos non piramidales, & qui magis militibus conueniunt, sed planos, & depressos, & eam latitudinem habentes in giro, quæ honesta sit. Qui infirmitatis causa bireto paruo vtuntur cùm celebrant, illud ab inceptione canonis omnino deponant. Non vtantur collaribus crispis, sed simplicibus, & planis, quòd etiam in interulis circa manus, & pulsus obseruari volumus. Reliquus vestitus sit niger, nec sericis vestibus vtantur, præterquam dignitates, canonici, archipresbyteri, & doctores. Duas induant vestes talares ambas, præsertim si personæ sint capitulares, vel curatæ, & cum incedunt per ciuitatem, & loca in quibus habitant; nam iter facientibus breuiorem, & contractiorem habitum non denegamus, dummodo honestus sit, & qui clericis conueniat.

Cap. II.

CLericis extra dioecesim exire, & commorari quauis de causa absque nostra licentia minimè liceat; idque sub poena ducatorum decem, & suspensionis si celebrauerint, vel sacramenta administrauerint. Abstineant à fabulis, comedijs, choræis, commessationibus, ebrietatibus, & alijs huiusmodi, quæ eos minimè decent: inter quæ etiam adnumeramus quòd aues, seu accipitres per ciuitatem, & loca in quibus habitant manu non deferant: & omnino illis interdicimus taxillorum, & alæarum lusum, sub poenis in sacris canonibus contentis, alijsq; nostri arbitrij, quibus etiam eos subiacere volumus, si spectatores tantum, & non lusores fuerint, vt nostris edictis cautum est. Arma tàm defensiua, quàm offensiua, tàm prohibita, quàm non prohibita absq; licentia nostra in scriptis habita, nullo pacto deferre audeant sub poena ducatorum vigintiquinque, & carceris; quibus etiam significamus, quòd vnius testis dictum, fide tamen digni, seu nostri algozeni sufficiens erit ad procedendum. Pro maiori autem obseruantia concedimus omnibus capitaneis, magistris iuratis, & algozenis tàm ciuitatis, quàm dioecesis, vt si quos nocturnis horis inuenerint arma super se ipsos deferre absque licentia nostra, illos capiant, & eis arma auferant, quæ præsenti decreto, & ex tunc pro captura illis consignamus. Et si hoc acciderit in ciuitate, illos ad nostras carceres conducāt; si verò per dioecesim, ad baronales, & totius facti

Toto tit. de vita, & honest. cleric. & Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. & Sess. 24. cap. 12.

a cap. clerici de vita. & hon. cleric.

succeſſum Vicarijs foraneis ſignificent. Si verò ſuper huiuſmodi colluſerint ad inuicem, in eos grauioribus pœnis animaduertemus, inuocato etiam auxilio dominorum temporalium pro huiuſmodi iniquis officialibus puniendis. Haud tamen negamus quin in itinere ad eorum defenſionem ea arma deferre poſſint, quæ non ſunt prohibita.

Cap. III.

c. peruenit 86. dist. c. 1. 2. 3. 21. q. 3.

NEgociationes à ſacris canonibus illis interdictas, nullo pacto exerceant. Quare tutelas non ſuſcipiant, aut pro laicis perſonis fideiubeant, ſeu obligentur, etiam in foro noſtro, abſque licentia in ſcriptis habita. Tabellionatus officio non fungantur, & cauſam coram ſeculari iudice non dicant abſque licentia noſtra; multo minus querelas exponant, etiam citra pœnam ſanguinis, vel in teſtes examinentur. Latrones, exules, bannitos, alioſque facinoroſos homines non recipiant, aut illis auxilientur, vel quouis modo faueant, idque ſub pœnis tàm in conſtitutionibus Pontificijs, quàm in regijs pragmaticis (non tamen capitali) contentis. Noctu domi ſe contineant, nec diſcurrant cantando, aliaque leuia, & ſcurrilia committendo. A ſuſpectarum mulierum contubernio abſtineant, & ſi qui tàm in ciuitate, quàm per diœceſim concubinatus vitio ſunt notati, his præſertim qui de hoc aliàs denunciati, & inquiſiti fuerunt, & adhuc cum eiſdem mulieribus conſuetudinem habent, omnino interdicimus, ne

Sixt. V. in litteris Apoſtol. ſub forma breuis quæ incipiunt expoui nuper feciſti.

de cætero cum eisdem habitent, versentur, neuę etiam eas alloquantur, idq; sub pœnis in sacro Concilio Tridentino contentis, alijsque arbitrarijs; pro delicti, & personæ qualitate, quibus etiam protestamur nullam nos admissuros esse excusationem, quòd sunt senes, impotentes, quòdque cum illis commercium non habent, nec peccant. &c. Qui verò fragilitate propria ducti, & aliorum pœnis minime perterriti concubinas, seu meretrices retinent, de quibus adhuc non fuerunt inquisiti, ab huiusmodi de cætero caueant, ne cogamur eos pœnis à sacris canonibus comminatis affligere. Demum recordentur status, & officij proprij, & vanis relictis, sacrarum cæremoniarum studio, sacræ Scripturæ, nec non casuum conscientiæ vacent, vt Deo seruire, & proximo beneficio esse possint. *Sess. 25. ca. 14. de reform.*

DE CAPITVLO, ET PROCVRATORE. *Tit. XXII. Cap. I.*

CONstat capitulum hieracense ex octo dignitatibus, & sexdecim canonicis, quem numerum nec diminuere, nec augere intendimus, prout etiam nec posse credimus: optamus tamen, vt quemadmodum alijs omnibus proximiores sunt Episcopo, ita bonitate vitæ, prudentia, & doctrina cæteros antecellant, vt in omnibus ipsi consilio, & adiumento esse possint. Studeant igitur se tales reddere, nec non cathedralis Ecclesiæ, cuius sunt precipua membra curam habere, ipsique in horis canonicis, & Ec-

clesiæ obsequio inseruire, se ipsos inuicem diligere, honore præuenire, & ea æmulari, quæ sunt charismata meliora, bonorum capituli fideles administratores esse, ac illis satisfacere debitis, quibus ex proprio officio, & piorum legatorum dispositione tenentur. Impensis canonicorum, qui nunc superstites sunt, sacristiam pro parte restituimus, eorundemque accommodauimus vsui, quorum exemplum vt sequantur posteri, hortamur eos, qui de cætero in eorum consortium erunt eligẽdi, vt primo assumptionis anno quatuor, aut tres ducatos ad minus pro sacristiæ reparatione expendere velint, & eas imitari Ecclesias, in quibus canonici de nouo assumpti hoc grati animi, & honoris etiam ergò libentissimè faciunt.

Cap. II.

HAbet Capitulum vnum procuratorem cum duobus deputatis, quorum est negocia ipsius tractare, & de quibusdam leuibus disponere; nam grauiora ad ipsum sunt referenda. Procurator eligitur singulis annis, vel confirmatur, vt tamen nihil desit officio nostro eorum, quæ pro beneficio capituli decerni possunt, præsenti constitutione sancimus ne ille, qui currentis anni procurator electus fuit, possit nisi per alium annum confirmari, ita vt biennio tantum administret; & qui procuratoris officio sunt functi, ad idem non reassumantur, nisi post decennium. Quod si aliquis contra huius decreti formam electus fuerit, eius electionem ex nunc,

provt

provt, ex tunc cassamus, eidemque administratio-nem dicti procuratoratus officij interdicimus sub pœna excommunicationis, & ducatorum centum. Huic tamen decreto non obstare declaramus vete-rem capituli nostri morem, quo procurator in fine officij sui duas personas eligendas proponit, deinde decanus vnam, & successiuè singuli ex dignitatibus, & canonicis vnam; pro quibus omnibus sunt eodem ordine recipienda vota, quo fuerunt propositæ, dummodo illę non proponantur, quibus huius de-creti forma est contraria. Procurator fideliter ne-gocia capituli peragat, & æqua lance bona distri-buat, provt distribui debent; & in fine suæ admini-strationis futuro procuratori intra mensem ratio-nem reddat, ab eoque cum deputatis præteriti, & futuri anni significetur in scriptis, & significatoria manu nostra sit subscripta, & sigillo obsignata, idq; sub pœna ducatorum viginti quinque tàm exeunti ab officio, si rationem non reddiderit, quàm nuper electo, si in ea requirenda negligens fuerit.

Cap. I I I.

AD capitulum ex antiqua huius Ecclesiæ con-suetudine non pulsabitur campana, nec ip-sum vllo pacto congregabitur absque licentia no-stra, vel generalis Vicarij, cum nos abesse contige-rit; volumus enim & nos quandoque ipsi adesse, & negocia pertractanda scire, præsertim cùm ea sunt, in quibus de nullo interesse nostro, aut nostræ mē-

sa cum


sæ cum ipso capitulo agitur; sicut etiam cum de interesse communi agetur libentissimè absentes erimus, vt propria libertate vti possint. Pridie verò quàm congregandum erit capitulum, procurator cum deputatis de hoc decernent; & licentia à nobis obtenta, describet in schedula causas dictæ congregationis, eamque in sacristiam affigent, vt parati omnes accedere possint. Quòd si negocium secretò tractandum erit, ad aures etiam singulorum significabitur, antequàm ad capitulum conueniant. Non desit capitulo scriba, qui diligenter notet diem, locum, personas, negocia, vota, conclusiones ipsius capituli, quotiescunq; congregabitur.

Cap. IV.

VT de cætero illud dicatur à capitulo sancitum, seu reprobatum, quòd de iure dici debet, & ad omnia affirmanda, seu neganda non præualeat paucorum potentium, multaque loquentium, & obloquentium auctoritas; sed maior votorum numerus censeatur in capitulo conclusisse tàm pro affirmatiua, quàm pro negatiua parte; ideo in electionibus faciendis, alienationibus quibuscunq; litibus, seu concordijs, aut transactionibus, & quibusuis alijs de causis, propter quas capitulum congregari contigerit, cum præsente Vicario in capitulo congregati fuerint, sedeant omnes eo ordine, quo in choro sedent, & cum silentio, deinde dicta oratione de Spiritu sancto, & collecta actiones nostras per eum qui

præest;

præeſt; procurator capituli proponat, quæ ſunt proponenda. Quo facto quilibet ſuo loco, & ordine dicat quæ ſibi occurrunt rationes pro, & contra, & cauſa ab omnibus diſcuſſa reddantur vota per fabas albas, & nigras; quibus receptis, & facta collatione numeri exiſtentium in capitulo ad numerum votorum, ſi repertus fuerit numerus maior fabarum albarum, intelligatur concluſum pro affirmatiua, ſicut per oppoſitum pro negatiua: & ſi aliter de cætero factæ fuerint concluſiones, illas nunc, provt ex tunc tanquam inualidas, & nullas caſſamus, & annullamus, nec Notarius aliter factas deſcribat, ſub pœna ducatorum decem, & priuationis officij. Dum de cauſis diſſeritur nemini liceat locum mutare, ab hac ad illam partem diſcurrere, vota procurare, alicui iniuriam inferre, ſeu quouis modo libertati eorum, qui redditurí ſunt vota, violentiam facere, ſub pœna contrafacienti amiſſionis omnium fructuum illius anni. Vt autem à prædictorum obſeruatione, quæ ad maximam inter capitulares perſonas pacem, & capituli commodum pertinent, aliquis per ignorantiam excuſari nequeat; procuratoris erit curare, vt ſemel in anno, videlicet in die qua confirmandus, vel nouus eſt eligendus procurator, hęc quę de capitulo, & procuratore diximus, publicè omnibus relegantur.



DE PAROCHIS, BENEFICIATIS, ET CAPELLANIS.

Tit. XXIII. Cap. I.

Cōc. Trid. Sess. 23. c. 1. de ref.

PArochi, qui vnà cum Episcopo in partem sollicitudinis sunt vocati, & quibus pascendi oues Christi est demandata cura, omnem debent diligentiam adhibere, vt fideliter suum exerceant officium. Igitur ipsi præ alijs lectioni sacrorum canonum, casuum conscientiæ, & constitutionum huius Synodi incumbant, earum præsertim, quæ ad sacramentorum administrationem, & eorum auctoritatem pertinent. Nostram iurisdictionē, & multo minus summi Pontificis haud vsurpent, vel lędant, in his præsertim quæ ad conscientiæ forum spectant; alijs parochis non sint infesti, aut eos quouis modo perturbent, regularium priuilegia non offendant, nec ab eis quæ sunt parochorum, vindicari sinant. Sint solliciti, & prouidi tàm in persoluendis diebus festiuis Missis, his horis quæ populis commodiores erunt, quàm in renunciandis hebdomadæ festiuitatibus, & ieiunijs, nec non visitandis infirmis, & cum oportuerit sacramentis administrandis. A proprijs curis non discedant nobis inscijs, & non relictis Vicarijs, seu substitutis ijs, qui per nos fuerint approbati. Qui in ciuitate commorantur per singulos menses nos teneantur adire, & spectantia ad suas parochias docere, qui verò in diœcesi bis in anno, eo tempore quo eis magis commodum fuerit, idque sub pœna contrafacientibus ducatorum decem, quòd etiam

c. cum ex eodem de cler. in 6.

de

de capellanis curam animarum gerentibus intelligi volumus. Doctrinam Christianam doceant, & diligenter notent concubinarios, vsurarios, aliosque facinorosos homines, & prçsertim qui in paschate non fuerint confessi, & sacra communione refecti. Idem faciant erga sponsos, & sponsas, qui ante edictorum publicationem, & matrimonij contractum inuicem se cognouerint, aut insimul habitauerint, seu conuersati fuerint, deque omnibus nos, seu Vicarios foraneos certiores faciant. Multa quæ ad ipsos attinent superius dicta, breuitatis studio omittimus, ad illa nos metipsos referentes. *Cōc. Trid. Sess. 5. cap. 2. de ref. et Sess. 24. c. 2*

Cap. II.

QVi benefic'a habent Ecclesiastica cuiuscunq; illa sint tituli, meminerint se ad canonicas horas persoluendas obligatos esse, sub pœnis in constitutione Pij Quinti fel. rec. contentis; nec non iuramento se obstrinxisse bona Ecclesiæ non alienaturos, quinimmo pro viribus ea, si quæ alienata fuerint recuperaturos. Omnino vt superius dictum est inuentarium bonorum Ecclesiarum, seu capellarum conficiant, & ad nos transmittant, sub pœna amissionis decimæ partis fructuum vnius anni, applicandorum reparationi dictorum beneficiorum, & alijs locis pijs; nec eos excusari volumus, quòd aliàs huiusmodi inuentaria construxerint, quia intendimus in vnum, vel duo volumina omnia tàm Cathedralis, quàm aliorum beneficiorum bona cum *Quæ incipit ex proxi.*

ſuis confinibus, & terminis redigere. Sciant ſe teneri ad Eccleſiarum reparationem, & quòd fructuum reſtitutioni ſunt obnoxij, eo quòd redditus omnes in alios vſus expendunt, & beneficia vel ſunt diruta, vel in dies ruinam minantur. Quare ea quæ in præcedentibus tàm à nobis, quàm à prædeceſſore noſtro viſitationibus ſunt mandata, exequantur, niſi velint nos acriori iudicio cum ipſis agere, pręſertim quòd ſemel, & bis eis condonauimus tranſgreſſionem termini, qui fuit Eccleſiarum reparationi pręſcriptus. In diebus feſtiuis Eccleſiarum, ſeu capellarum ea adimplere ſtudeant circa Veſperarum, & Miſſarum, aliarumq; ſolemnitatum celebrationem, ad quæ tenentur; alioquin æconomum deputabimus, qui eorundem beneficiorum impenſis hæc adimplere curet. Demum omnes diligenter ea obſeruent quę debent, præſertim circa numerum Miſſarum tàm per annum, quàm per mẽſem, ſiue hebdomadam dicendarum, quas omnino ſiue per ſe ipſos, ſiue per alios perſoluere habeant, idque ſub pęna deputationis æconomi, vt dictum eſt.

DE SEMINARIO.

Tit. XXIIII. Cap. I.

Seſſ.23.c.8 Lauda in Synodo vindemini pag. 135.

INter alia quæ pro morum reformatione ſacroſanctum Concilium Tridẽtinum decreuit; haud contemnenda, vel infimo loco reponenda eſt ſeminariorum inſtituto: ex ipſis enim iam erectis prodierunt, & in dies prodeunt clerici, & Sacerdotes mori-

moribus, & literis insigniores, quiquè disciplinam, quam docti sunt retinentes, eam in animarum seruitium impendere curant. Quo circa vt huic etiam muneri satisfaceremus, quam primum ad hanc Ecclesiam accessimus, nihil nobis ita cordi fuit, quàm Seminarium à bo. me. Andrea Candida Episcopo Hieracensi anno Domini M. D. L X V. institutum reassumere, atque eius redditus ad eam taxam, quę in ipsius prima institutione imposita fuit, exigere. Et iam Deo dante domus emimus. Ludi Magistrum, Cantorem prouidimus, nonnullosque erudiendos elegimus, non absque spe meliora in dies faciendi, si vires suppetierint. Hortamur itaq; omnes, vt prompto, & alacri animo huic operi nobis sint auxilio; qui tametsi grauibus oneremur pensionibus, nihilominus summopere delectamur huiusmodi contributione. Vt verò exigui redditus maiori quo fieri potest emolumento expendantur, nec ex morosa solutione eorum qui soluere habent, cogamur extra tempus, & etiam carius emere quæ oportet, de cætero volumus, quòd in tribus tertijs ad summum, portiones quæ à singulis beneficiatis debentur, soluantur, videlicet in Paschate, Augusti mense, & Natiuitate Domini. Qui verò vnica, vel duabus tantùm solutionibus hoc fœcerint, nobis magis gratificabuntur, dummodo id faciant in mense Augusti, & non expectent ad finem anni. Protestamur autem omnibus, & singulis, qui morosi erunt, quòd eorum expensis mandata, & executoria, si quæ necessaria fuerint, expedientur.

Cap.

Cap. II.

QVia comparatis ſeminarij redditibus ad numerum clericorum pauperum, qui tàm in ciuitate, quàm per diœceſim reperiuntur, dicere poſſumus, ſed hæc quid ſunt inter tantos? ne
Ioan. 6. c contingat qui primitus electi fuerunt, illos tanto temporis ſpatio in eo commorari, vt ſecundo loco eligendis vix ſuppetat tempus: ideo nolumus minores quindecim, nec maiores viginti annorum in ſeminarij alumnos aſſumi. Hi vero erunt legitimis natalibus orti, pauperes, & qui aliunde non habeant, vt ſubſtentari, & addiſcere poſſint. Et cum paucos admodum propter viciſſitudinem menſium, alijſq; de cauſis de beneficijs prouidere poſſimus, & aſſumendi eo fine eliguntur, vt in Sacerdotes promoueantur, haud extra rem erit cognoſcere, ſi ex patrimonio, vel donatione ſubſtentari poterunt, cum erunt ad ſubdiaconatum prouehendi. In ſeminario commorabuntur vſque ad quartum annum, niſi vel eorum ignauia, vel mali mores aliud ſuaſerint; quapropter curabimus eos eligere, de quorum vitę bonitate, & ingenio ſpem habere poſſimus proficiendi.
Cōc. Trid. vbi ſupra. Haud tamen propter hoc excludimus diuites, dummodo bonæ ſint indolis, & qui proprijs ſumptibus ſubſtineri velint, quòd non intendimus fieri esculentis, & poculentis, quotidie per parentes tranſmiſſis, ſed conuentione facta cū ſeminarij procuratorib. de huiuſmodi expenſis, & re nobiſcū collata, quādoquidē volumus in ſeminario omnes communē vitam agere.

Cap.

Cap. III.

REctoris erit curare vt honestè, & modestè viuant non solum ipsi alumni, sed etiam omnes qui illis quouis modo inseruiunt; & si quid scandali occurrerit, ad nos referre. Curabit insuper vt singulis mensibus semel saltem confiteantur peccata sua, vel ipsimet rectori, vel confessario per nos deputando, & pro arbitrio eorundem, sacram Communionem recipiant, quòd optamus fieri in celebriori solemnitate illius mensis, & in Missa maiori Cathedralis Ecclesiæ. Singulis diebus Missam audient omnes simul, & in festiuis de præcepto ad Cathedralem conueniunt, vt horis canonicis, & Missæ intersint; quibus etiam locum assignamus in vltimis scabellis, ex parte tamen superiori chori. Volumus etiam quòd ad processiones generales accedant loco, & ordine eis per nos deputando, similiter ad defunctos sepeliendos, si tamen à defunctorum propinquis requisiti fuerint, & aliquid plus voluerint exponere, ne huiusmodi accessus onerosus sit alijs, quibus iam est acquisitum ius in eleæmosinis. Cætera ad eorum conuictum oportuna, in proprijs seminarij regulis habentur, quas ædidimus, & à quarum obseruatione vt per ignorantiam excusari nequeant, volumus quòd per singulas hebdomadas semel in communi legantur, dum sunt in mensa.

DE

DE CLERICIS, QVI VVLGARI NOMINE: DIACONI SYLVESTRES NVNCVPANTVR.

Tit. XXV. Cap. I.

EX antiqua admodum, & immemorabili nedum dioecesis huius, sed totius Prouinciæ consuetudine adsunt pro seruitijs Ecclesię, & mandatorum Curiæ Episcopalis executione Clerici, qui Diaconi sylueſtres dicuntur, quibus non prohibetur coniugatos esse, & fori, & canonis priuilegio gaudere, esseque à solutionibus capitalibus (dictis) exempti. Hos decet vt tonsura, & habitu ostendant se clericos esse, more tamen loci circa habitum seruato, volumus autem quòd omnino collaribus vtantur planis, similiter pileis, & per Ecclesiam biretis clericalibus, & quòd vestes longiores alijs laicis deferant, & seruitijs Ecclesiæ vacent, nec non Vicarijs foraneis, seu alijs rectoribus, vbi non sunt Vicarij, ad nutum obediant, præsertim cùm illos ad nos transmittere volunt. Eorundem est campanas pulsare, Ecclesias verrere, luminaria accendere, folles cùm organa pulsantur tractare, ignem pro thuribolo in Ecclesia præparare, Missis seruire, Crucem ad funera deferre, in diebus festis laborantibus, eosque non seruantibus executionem facere, quarum decimam partem illis assignamus, vt in hoc magis inuigilent, & attendant: & demum ea omnia facere, quæ tàm ex lege, quàm ex consuetudine ad eorum officium spectant. Horum diaconorum numerum

c. 1. de cleric. coniug. in 6. c. Io. extr. de cler. cõiug. Cõc. Trid. Seſſ. 23. c. 6

vt non

vt non auximus, ita nec diminuere volumus. Nulli igitur Vniuersitati liceat sub interdicti poena eos propria auctoritate cassare, aut reijcere, etiam sub prætextu alios reponendi magis idoneos, nobis inconsultis, & causis non expositis cur eos mutare velint, nec enim deerimus iustitiæ, aut gratiæ, prius causa cognita.

DE VICARIIS GENERALI, ET FORANEIS.

Tit. XXVI. Cap. I.

GEneralis Vicarius licet potestatem habeat ordinariam, haud tamen decet eum in omnibus parem esse Episcopo; quare nobis præsentibus cùm ipsum abesse contigerit, nolumus alium nobis inconsultis substituere posse, & similiter cum in ciuitate fuerimus à censuris, & casibus reseruatis absoluere, seu absoluendi facultatem concedere, præsertim si ad effectum reuelandi facta fuerit excommunicatio; quòd etiam dicimus de grauioribus quibusdam, super quibus mœritò consulendus est Episcopus. Diligenter aduertat ne plus æquo, magistri actuarij vel reos, vel actores in causis agendis grauent, & pauperibus personis, quę longam iudicij telam contexere nequeunt, summariam quantum fieri potest iustitiam administret. Arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia, & doctrina suum exerceat officium; semperquè præ oculis habeat, quòd quemadmodum capiti est coniunctum collum, ita & ipse, vt est Episcopo proximus, eidem in

ca. 11. cum seq. de potest. Vic. in 6.

omnibus præsto esse debet, qua de causa sapientissime dictum est Vicarium cum Episcopo vnum tribunal efficere. Ipsi tanquam nobis obediant omnes, eumq; reuereantur, quem etiam hortamur, vt omnes paterno recipiat affectu, & filios castigare non vereatur, cū inobedientes fuerint, vel contumaces.

c.2. de consue. ext. ca. romana de appe. in 6.

Cap. II.

Vicarios foraneos in diuersis diœcesis locis eos esse volumus, quos ipsi deputabimus, & cum ea facultate, quam eis concedendam fore iudicauerimus. Horum est omnium suæ iurisdictionis curam habere siue clerici sint, siue etiam laici; & contra quos inuenerint, vel sciuerint deliquisse super commissis, seu omissis, informationem suscipere, & ad nos transmittere. Si quando verò casus talis occurrerit, qui fortè melius secretò tractari poterit, nobis id significent, habituri mandatum super procedendi modo. In grauioribus excessibus, & cum repertis in fragranti, & præsertim si timetur de fuga, quamprimùm carceribus, vel sufficienti cautione, omnino curēt assecurare se de persona; idque sub eadem carceris pœna si contrafecerint. Animaduertant, vt diaconi syluestres suo non desint officio, nec tamen insolenter illud exequantur. Curent sub poenis superius expositis, vt beneficiati eorum iurisdictionis quamprimum inuentaria conficiant, vt dictum est. Non ab re erit, si semel saltem in mense curatos cōgregabunt, & cum ipsis consilium habebunt super

his,

his, quæ pro fidelium salute, & vitiorum extirpatione fieri à singulis in proprijs curis oportunum esset. Demum constitutiones has præ manibus habeant, sibique metipsis familiares faciant, curentque pro viribus eas executioni mandare.

Cap. III.

NEminem prædicare sinant, qui non fuerit à nobis, vel Vicario nostro approbatus; aduenas, suspectos, vel statim eijciant, vel etiam si id iudicauerint oportere, carceribus mancipent. Idem faciant, cum portantibus sarcinulas plenas libellis, orationibus, cantilenis, alijsque huiusmodi, quæ doctrinam prauam, bonisque moribus contrariam continere solent. Sacerdotes exteros celebrare non permittant absq; Ordinariorum dimissorijs, nec Sacramenta administrare sine licentia nostra. Cuiusuis ordinis regulares, quos repererint absq; suorum superiorum licentia vagare, statim eijciant, & si non paruerint, carceribus mancipet: iuxta Sixti Quinti fel. rec. constitutionem, & sacræ Regularium Congregationis decretum. Quæstuarios omnes, quos inuenerint absque licentia, & approbatione nostra prædicare, indulgentias publicare, eleæmosinas quærere, in carceres conijciant, ablata ab eis pecunia, quam collegerunt, & de huiusmodi executione quamprimum nos certiores faciant; multos enim iam cognouimus indulgentias, quas non habent publicare, & sub pietatis specie homines Christi sangui-

Cōc. Trid. Sess. 5. c. 2.

Vbi supra Sess. 23. c. 16. de ref.

Incipit cū de omnib.

Vbi supra Sess. 5.

ne redemptos decipere. Si ad eos declinauerint fabricæ principis Apostolorum commissarij, priusquã nos adierint diligenter inquirant quid velint, tentent, quærant, nobisque quam primum significent. Super controuersijs, quæ ratione præcedentiæ, quartæ, alijsque huiusmodi oriri possent, nihil definiant, sed mandato facto partibus, vt eo exequatur modo, quo olim fiebat, rem ad nos cum informatione trãsmittant. Curent obseruari dies festos, & Ecclesiæ mandata; reliqua verò eorundem prudentiæ; & iudicio committimus.

DE SANCTIMONIALIBVS, ET EARVNDEM MONASTERIIS.

Tit. XXVII. Cap. I.

2. Cor. 10. d

SAnctimoniales virgines Deo dicatę, vt à populo omni honore sunt prosequendæ, ita & ipsæ memores semper Christo desponsatas esse; tales se exhibere debent, vt tanquam res sacras eas veneretur, nec minimum quid de eis suspicari, aut obloqui possit. Quamobrem sicut regulam vitam elegerunt, quam etiam professæ sunt, & clausuræ legibus semetipsas obstrinxerunt; ita moribus, & vita, ab omnibus sæculi vanitatibus, & pompis alienæ esse debent, solius Dei seruitio semper intentæ. Regulam quam sunt professæ diligenter obseruare studeant, nec non sanctos viros, sanctasque virgines, quæ sub ea profecerunt, imitari, eorumque exempla attendere. Sique igitur à regulari obseruantia deflexerunt,

Cõc. Trid. Sess. 25. c. 11. de reg.

runt, eandem reassumere non negligant; & quæ ad reformationem pertinent, tàm in sacra Tridentina Synodo ædita; quàm in alijs constitutionibus, executioni mandare curent. Vota quæ vouerunt Domino reddant; ceremonias Ecclesiæ, Psalmodiam, diuinum recitare Officium addiscant, cæteraq; mulierum exercitia haud scire negligant, ne ociosam vitam agant, quæ multam malitiam docere solet. *Eccl. 33. d*

Cap. II.

IN quolibet Monasterio adsit Abbatissa canonica electione electa, circa cuius ætatem, qualitates, electionem, & cætera, nec nō durationis officij tempus ea obseruentur, quæ in Concilio Tridentino, & constitutione Gregorij XIII. sanctę memoriæ habētur. Post Abbatissam sit Vicaria, quę eius vices suppleat, eiquæ in omnibus sit adiumento; & hæc vna sit ex senioribus, & magis discretis. Volumus quoquè dispensatricem adesse, cuius sit redditus Monasterij recipere, & exponere, illorumq; rationem reddere; cui si iudicauerit Abbatissa bonum esse sociam adiungere, id nos etiam moelius fore arbitrabimur. Adsint aliæ officiales pro loci, & personarum opportunitate, nec non quatuor, vel sex ex senioribus monialibus, sine quarum consilio, Abbatissam de granioribus Monasterij negocijs disponere nolumus, & hoc consilium seniorum congregari volumus, non obstante quòd res, de qua agitur absque licentia nostra, non sit executioni mandanda. Inuenimus in singu-

Sess. 25. c. 6 7. Incipit exposuit debitum.

singulis Monasterijs procuratores clericos, qui eorundem negocia tractant: & vt laudamus hoc institutũ, ita aliæ personæ, nobis experiendæ sunt. Quarè mense Augusti proximo elapso, volumus quòd singuli mutentur, alijque in eorundem locum sufficiantur clerici similiter, qui in posterum non nisi per triennium in dictis officijs perseuerabunt; & ad omnes clamores, supplicationes, quærelas, inquietudines tollendas, ex nunc, provt ex tunc illos cassamus, & eo tempore elapso, cassatos esse declaramus. Volumus tamen quòd propriè administrationis rationem reddant, & significentur scriptura manu nostra subscripta, sigilloque obsignata.


Cap. III.

Sess 25. c. 15. 17.

QVæ in sanctimonialium numerum, & consortium recipiendæ erunt, ætatem, & qualitates præscriptas à sacra Tridentina Synodo habere volumus, & quòd ex eiusdem decreto examinentur, liberæ nè, an coactæ hoc vitæ, genus eligant. A maiori professarum numero acceptari debent, & cum primum religionem ingrediuntur, volumus aliquo habitu ab alijs distingui, per quem assignetur eis annus probationis, quo elapso, professionem emittant; nec enim probamus, quòd omnino seculares vestes induant, quemadmodum mulieres laicæ, quæ in Monasterijs degunt, & hucusque Hieracij, haud absque abusu, factum est. Quicquid pro earum dote dandum erit, siue pecunia sit, siue stabi-

ſtabilia bona, nec diſtrahatur, nec alienetur, aut à monialibus recipiatur, ſed pœnes fidelem perſonam deponatur, vt cum profeſſæ fuerint Monaſterio cō-ſignetur; ſub pœnis in ſacra Synodo Tridentina, & Congregationis ſuper eandem, ſiue etiam Prælatorum decretis contentis; interim parentum erit eas educare, & de neceſſarijs prouidere. Præter dotem aſſignanda erit ſuppellex ſufficiens pro loci, & perſonæ conſuetudine, & qualitate. Nulli ſanctimonialium liceat redditus eorum bonorum, quæ pro earum dote aſſignata fuerunt per ſemetipſam admini-ſtrare, etiam ſub prętextu quòd in communi cum alijs non viuat, idque ſub pena, quæ religioſis proprietarijs debetur. Siquid verò citra dotem à parentibus eis datum fuerit, quod pro annuo redditu computari poſſit, volumus in commune depoſitum recipi, & de licentia noſtra pro ipſius monialis neceſſitatibus expendi. Elapſo probationis anno, exami neq; prius peracto, profitebuntur in manib. Noſtris, vel Abbatiſſæ, ſuo tempore ſacrum velum ſuſcepture. Curent Abbatiſſæ in ſingulis Monaſterijs adeſſe libros, in quibus conſcribantur nomina, cognomina, parentes, dies, & annus, in quo ſingulæ in ſanctimoniales receptæ, annum probationis incœperunt, & ſuo tempore ſunt profeſſæ, nec non quid in dotem Monaſterio dederunt, & quotannis à profeſſione elapſis, ſacrum velum ſuſceperunt.

Seſſ 25 c 3
Pius V. Conſt. quæ incipit circa paſtoralis.
Cōc. Trid. vbi ſupra.



Cap.

Cap. IV.

VT non improbamus quòd in monialium Monasterijs æducationis causa puellæ retineantur, & cum sanctimonialibus commorentur; ita nolumus eas Monasteriorum expensis substentari, & præsertim cum experimento cognouerimus, quòd plerumquè parentes earundem obliti, de omnibus magis, quàm de illis cogitant, ipsæque annis grauatæ. & ferè senes, nesciunt an ad sæculum sint redituræ, vel moniales futuræ. Quo circa cum voluerint aliqui filias, sorores, nepotes, seu quasuis consanguineas, aut affines in Monasterijs educādas collocare; post habitum à maiori monialiū parte consensum nec non pacta mercede, quam pro eius victu Monasterio soluere debent, à sacra Congregatione Romana, quæ Episcoporum negocijs est præfecta, licentiam obtinebunt eas introducendi, vt id suo tempore fieri possit si tamen requisitæ concurrant conditiones. Declaramus verò nos omnino velle abusum qui insurrexit abolere; quo in magnum Monasteriorum præiudicium, qui puellas educandas tradunt, vel singulis hebdomadibus, vel etiam diebus, victum subministrant, sed volumus quòd vel in pecunia numerata, vel in tot victualijs tribuant, quicquid pro earum substentatione oportet, idque singulis annis, vel semestribus anticipata solutione, pro qua etiam aliquis ex clericis fideiubeat. Nec intendimus quòd in posterum huiusmodi siue pecunia, siue victualia sint, particularibus

monia-

monialibus consignentur, sed Abbatissis, quarum sit de puellis educandis, vt de alijs monialibus curam habere; indecens enim valde est, vt sanctimonialis, quæ paupertatem est professa, in secularis puellæ seruitium proprietaria viuat. Volumus etiam, quòd de cætero vltra victum puellæ introducendæ, præbeant parentes singulis annis tres ducatos pro Monasterij reparatione, quòd pro secularibus, sicut pro monialibus quotidie consumitur, & aliqua indiget restauratione, & auxilio; Demum habeant Abbatissæ librum, in quo huiusmodi puellarum nomina, cognomina, ætas, parentes, sint descripti, nec non prouisio, quæ pro ipsis alendis fuit assignata, & nomina eorum, qui fideiusserunt cum die, & anno, alijsque requisitis.

Cap. V.

POst votorum obseruationem quæ essentialis est sanctimonialibus omnibus, nihil illis ita cordi esse debet, vt claustralis clausura, de qua Summi Pontifices, sacra concilia, & præsertim Bonifacius VIII. Et Tridentinum Concilium multa cum prudenter, tùm iustè sanxerunt, grauissimis appositis pœnis eam quouis modo violantibus. Quare vt iam ordinauimus, volumus hostia, & portas Monasteriorum duabus muniri clauibus, quarum quæ in interiori est parte, pœnes Abbatissam perpetuo seruetur, quæ vero in exteriori, sub cura sit discretæ alicuius, & honestæ personæ, quæ de mane sole iam

c. periculoso de stat. mo. 16.

sess. 25. c. 5

orto ipsam aperire, & in sero occidente claudere curabit. Insuper erunt in singulis Monasterijs deputate vna, vel duæ moniales ex senioribus, magisque discretis, quæ ianitrices officio fungātur, dummodo eæ non sint quæ sorores, aut neptes in eisdem Monasterijs habeant, & his exceptis, vel absentibus, nulla audeat hostium aperire, vel ad ipsum accedere sub carceris pœna. Si cui ex sanctimonialibus, vel puellis, necesse fuerit personam aliquam alloqui, id fiat in communi parlatorio, & ad Monasterij crates: nullo verò pacto ad ipsius ianuam, ad quam nec monialibus, nec secularibus tam in Monasterio manentibus, quàm ab extra venientibus liceat colloquia facere, & multo minus comedere, seu bibere, idq; sub violatæ clausuræ pœna, & quòd in excommunicationem inciderint declaratione. Nemini sub quouis prætenso colore, seu causa, quamuis sit physicus, chirurgus, confessarius, capellanus, etiam ad Sacramenta administranda, mulio, carpentarius, & cuiusuis generis faber, aut quiuis alius, liceat Monasteria ingredi absque licentia in scriptis, quam aliquibus ad tempus, aliquibus vero toties, quoties habito respectu ad frequentem, & raram eorundem necessitatem dabimus. Declarauimus contra clausuram esse, quòd in Monasterijs commorentur mulieres, quę pro sanctimonialium necessitatibus egrediebantur, & ingrediebantur; & responso accepto super hoc à sacra regularium Congregatione, quod fieri nequeat, eas in clausuram vt conuersas redegimus: idem verò præsenti constitutione declaramus,

In regi. literarum.

& quòd

& quòd omnino obseruetur præcipimus. Volumus in singulis Monasteriorum Ecclesijs, quamprimum fieri rotas paruas ad paramenta, calicem, lumen, aliaque necessaria celebraturo Sacerdoti subministranda, & quòd in posterum pro huiusmodi ministerio non aperiatur fenestrella, qua sacra communio recipitur, quam claue clausam semper esse volumus, præterquam sanctissimæ communionis tempore. In cratibus etiam parlatorij volumus fieri fenestras, seu telaria lignea, quæ erunt tela cooperta, & claue obsignata: nec eas indifferenter, & ad libitum aperiri volumus, sed tantum quando personas in primo, & secundo gradu coniunctas sanctimoniales alloquuntur, pro alijs verò consanguinitate, vel affinitate remotioribus, nolumus aperiri nisi de licentia nostra. Nemini cuiusuis gradus, & conditionis liceat ad Monasteria accedere, & sanctimoniales alloqui, etiam sub prætextu quòd ad seculares puellas accedunt, quarum sunt personæ coniunctæ, nisi sint in primo, & secundo gradu consanguineæ, vel affines; idque sub excommunicationis pœna, si absque licentia nostra, quam non nisi in scriptis dabimus, accedere præsumpserint. Regulares verò etiam in secundo gradu coniuncti, sciant illis sub grauissimis pœnis à sacra Congregatione huiusmodi accessum interdictum fuisse, & quòd non nisi ab eadem habita, & obtenta licentia accedere possunt. Abstineant etiam à pueris, & puellis introducendis, in Monasterium, etiam sub prætextu puerilis, & minoris ætatis, quandoquidem minime sufficit ad eas

Côc. Trid. Sess. 25 c. 5 de reg. Gregor. XIII. Consti. quæ incip. vbi gratia.

excusandas, quin clausuram violauerint, & in pœnas inciderint. Demum fenestras si quas habent super vias respicientes, à quibus & ipsæ prospicere, & prospici possunt, claudant, vel eleuent. Siquæ verò sunt secularium domorum, quę intus ipsa Monasteria prospiciunt, hortamur excellentes Dominos Sindicos, & Electos, vt nobiscum obseruari faciant regiam pragmaticam super hoc æditam, vt sanctimonialium honestati, & clausuræ in omnibus quantùm fieri potest benè consulatur.

Cap. VI.

c. qui religiosis, 18. q. 2.

IN singulis Monasterijs hi tantùm Sacerdotes à sacris confessionibus erunt, quos nos deputabimus; quos etiam ad nutum volumus esse amouibiles, & nullo pacto perpetuos, nec etiam volumus deputatum confessarium pro vno Monasterio, personarum alterius Monasterij confessiones audire absq; licentia nostra. Omninò etiam volumus quòd oblato semel, vel bis in anno extraordinario confessario omnes peccata sua eidem confiteantur; nec admittendum ducimus quòd ab aliquibus dicitur, eo non indigere; etenim scimus quòd id quærere religiosas mulieres pudet, & absque rubore, alium preter ordinarium, petere non valent, & nostræ curæ incumbit etiam timidis, & inualidis conscientijs satisfacere. Caueant ordinarij confessores ne eas absoluant à censuris, & casibus reseruatis, & præsertim ab his, quibus vota, & clausuram violauerunt. Capella-

Cōc. Trid. Sess. 25. c. 10.

pellaui ad Missas dicendas, & Sacramenta administranda deputati, non protrahant cum eis longos sermones, aut earundem negocijs se ingerant, siue etiam ad eos colloquendas alijs horis accedant absq; licentia nostra, idque sub priuationis officij pœna.

Cap. VII.

NEmini liceat circa Monasteriorum ambitum noctis tempore cantilenas canere, musicalia instrumenta pulsare; obscœna obloqui, voces clamorosas emittere, aliaquè scurrilia, & leuia facere, quæ nec locum, nec tempus decent; idque sub viginti ducatorum, & excommunicationis pœna. Semel in anno tàm Abbatissæ, quàm dispensatrices, & Monasteriorum procuratores suæ administrationis rationem reddere teneantur, & quæ in capitulo de clericis circa bonorum Ecclesiasticorum alienationem, permutationem, locationem, &c. superius diximus, ad sanctimoniales etiam extendimus, & pro ipsis hic adiecta, & extensa esse volumus. Demum nemini liceat Monasteria de nouo fabricare, seu Ecclesias construere, vel iam fabricatas demoliri, aut circa eas notabilem aliquam mutationem, seu restaurationem facere nobis inconsultis, sub pœna priuationis officij Abbatissis, & procuratoribus; alijs verò exteris, ad Monasteria non accedendi, etiam si parentes, & in proximiori gradu coniuncti fuerint.

Côc. Trid. Sess. 25. c. 3. c. de Monacis, cap. quadam, 18. q. 2.

DE

DE CONFRATERNITATIBVS LAICORVM.

Tit. XXVIII. Cap. I.

Psalm. 132. i

AD experimento probandum verum esse, quòd regius Propheta dixit, Ecce quàm bonum, & quàm iocundum, habitare fratres in vnum, institutæ sunt laicorum Confraternitates, vt in illis conscripti cum ceciderint, habeant subleuantes, eosque in seruitio Dei fouentes, & eis in nomine Christi cõgregatis, ipse sit præsens, eos adiuuans, nec non petitionibus eorundem satisfaciens. Harum cùm non paruus numerus sit tam in ciuitate, quàm per diœcesim distributus, optamus vt ad suarum confraternitatum instituta conformiter viuant, & quemadmodum titulis, insignijs, habitu à cœteris distinguuntur christianis, ita vitæ, morumque probitate illis antecellant; quòd vt fiat, nemini licere volumus cuiusuis confraternitatis habitum pro libito induere, sed tantum de confratrum consilio, & assensu; quorum vt erit probos, & morigeratos admittere, ita discolos, & facinorosos ab eorum societate excludere, quòd etiam facient his, qui in societatem admissi, tales euaserunt, vt iam non nisi scandalo alijs esse possint. Oratoria frequententur, & in ipsis orationes, & Missas persolui curent, quæ ex eorum institutis debentur, ita tamen, vt hæc non omittant, & quæ facere oportet faciant, accedere scilicet ad Ecclesias, & in eis Missas, sacrasquè conciones audire,

Eccl. 4. c Matth. 18. b

dire, nec non ſacramenta ſuſcipere, etenim quæ ab ipſis in oratorijs fiunt, tanquam ſupererogationis bona cenſeri debent.

Cap. II.

LAudamus valde confraternitatum morē quem habent tenendi capellanum, qui pro eis Miſſas perſoluat, eorundemq; confeſſiones audiat, quòd vt ab omnibus fiat, hortamur, & monemus. In poſterū volumus, quòd ſingulis annis cùm noui electi fuerint officiales, illos nobis ſignificent, & à procuratoribus ratio reddatur ſuæ adminiſtrationis, ſignificatorijs literis à nobis receptis. Quòd ſi repertum fuerit, redditus expenſas ſuperare, id totum pro oratorij reſtauratione, ſeu quouis alio confraternitatis beneficio expendi volumus: idquè quamprimum, ne pecunia diu retenta pœnes tertiam perſonam, vix poſtea exigi poſſit, quòd quandoque etiam accidit. In proceſſionibus eum præcedentiæ ordinem ſeruent, qui vſq; adhuc tàm in ciuitate, quàm per diœceſim ſeruatur, nec eum alicui perturbare, vel immutare liceat, ſub pœnis ſuperius expreſſis, & à Nobis, vel generali Vicario noſtro ad proceſſiones vocatæ præſto eſſe curent, ſub pœnis quibus ſupra. Si quæ adhuc in oratorijs, aut eorum Eccleſijs conuiuia, ſiue ientacula fiunt, aut etiam extra Eccleſias, & oratoria munuſcula, & bellaria donantur confraternitatum expenſis, ea omnino tolli, & aboleri volumus, quauis conſuetudine, etiam immemorabili, non

Clem. quia contingit, §. vt antè præmiſſa de religio. dom.

Cōc. Trid. Seſſ. 24. c. 8. & 9.

Tit. de proceſſionibus cap non oportet, 43. diſt.

non obstante. Nouas confraternitates nobis inconsultis, & absq; nostra licentia erigi nolumus, & donec de earum titulis, habitu, institutis plena informatio suscepta fuerit, ad facilius probandum quòd bonum est, quòd verò malum reijciendum.

DE HOSPITALIBVS.

Tit. XXIX. Cap. I.

Hebr. 13. a CHaritas fraternitatis, inquit Apostolus, maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis; vt igitur hæc bona acquiramus, hospitalitatem sectemur oportet, ipsummet Dominum recipientes; qui vt impios in die nouissima arguet, dicens hospes eram, & non collegistis me, ita & bonos laudabit, quòd ipsum hospitem susceperint. Itaque hortamur omnes qui in Diœcesi nostra beneficia secularia, siue regularia obtinent, vt hospitalitatis officium à sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè, benignequè exercere assuescant. Vna etiam cum eis hortamur vniuersitates omnes, vt hospitalia construant pro peregrinis, & aduenis recipiendis, nec non infirmis curandis. Vbi verò iam sunt erecta, monemus omnes eorundem officiales, & ministros, vt cum meminerint hospitalium bona, & eleemosinas Christi esse, ea fideliter, & diligenter administrent, nec in alium, quàm peregrinorum, & infirmorum vsum expendant, & singulis annis etiam ipsi,

Matth. 25. f *Cōc. Trid. Sess. 25. c. 8* *Sess. 22. c. 9*

ipsi, eius quòd administrauerint rationem reddant. Fœminas hospitio non recipiant, nisi loca habeant ab hominibus distincta, & separata, & de infantibus, qui exponuntur nos certiores faciant, quatenus diligentiam adhibere possimus ad parentes inueniẽdos, eisdemque alendis prouidere. Curent etiam procuratores, vt cum peregrini ad eos hospitij gratia declinauerint, in omnibus deuotè, & modestè se gerant, & quòd quàmprimum se expediant, atque suum iter prosequantur.

DE DIEBVS FESTIS OBSERVANDIS.

Tit. XXX. Cap. I.

IVsto Dei iudicio fieri credimus, vt qui ingratitudinis nota (ingrati), auaritiæquè stimulis agitati, quæ Apostolo teste est simulachrorum seruitus, dies festos obseruare negligimus, quos pro tot, tantisque receptis beneficijs præsertim creationis, conseruationisquè nostræ, grati animi causa sanctificare iubemur, ipse Dominus bonorum omnium largitor à nobis ingratis auferat, quod dederat gratis, & experiri nos faciat cœlum æneum, & terram ferream; nec amplius mirari liceat annos steriles, pestilentias, siccitates, inundationes, & alia multa mala, quibus nos in virga visitat, & affligit. Igitur vt Deo debitum persoluamus cultum, & honorem, & quem intimis sensibus pie colimus, exterioribus etiam signis veneremur, eidemque gratias agendo, à nobis ipsis manum vltricem auertamus, dies festos obseruan- *Coloss. 3. a*

dos proponimus, omnibusque in memoriam reducimus, quòd sub peccati mortalis reatu ad eorum obseruationem tenemur, nec excusari possumus, nisi vel vrgens necessitas, vel conditio temporis aliud requiratur. Abstinere itaque debemus festiuis diebus ab omni seruili opere, siue mechanicum sit, siue rurale, nec non ab omnium illiberalium artiũ exercitio, à contractibus ineundis, iuramentis præstãdis, causis dicendis, sententijs ferendis, mercibus, alijsq; rebus cuiusuis generis emendis, aut vendendis, his exceptis, quæ pro illius diei victu, & ægrotorum curatione erunt necessaria; officinis item aperiendis, oneribus portandis, seu asportandis, etiam quòd id animalium ministerio fiet, & cæteris quæ latius in edictis per Nos æditis sub die 19. Ianuarij. M. D. XCII. continentur, idq; sub pœnis in eisdem edictis contentis; quæ vt omnibus innotescant, volumus tàm in Cathedrali nostra, quàm in alijs totius diœcesis curatis Ecclesijs bis in anno publicari, semel, scilicet prima dominica Mensis Nouembris, & item in octaua Paschatis, & quòd teneantur affixa in Ecclesijs, in quibus publicantur; idque sub pœna ducatorum duorum his, qui tàm in publicandis prædictis edictis, quàm in eisdem affixis habendis negligentes fuerint.

Exo. 20. b
Pius V. Const. quæ incipit. cũ Apostol. §. cum vero.

Cap. II.

NOn solum diebus festiuis à seruilibus operibus est abstinẽdum, vt adimpleamus quòd scrip-

tum est, omne opus seruile non facietis in eo; verum etiam & ea obseruare debemus, quæ Ecclesia sancta præcipit, & omni studio curare, vt sicut dies, ita etiam nos metipsos sanctificemus. Est igitur nobis diebus festis audienda Missa, quam absque peccato mortali omittere nequimus, nisi graui admodum necessitate excusemur. Debemus etiam Ecclesias, præsertim Parochias frequentare, diuinis interesse officijs, sacramenta recipere, verbum Dei audire, processiones associare, orationibus, & meditationibus, alijsquè pijs operibus plus solito attendere, & quantum fieri potest à choreis ducendis, tripudijs, saltationibus, commessationibus, ebrietatibus, alijsq; scurrilibus, & leuibus abstinere; nec enim propter huiusmodi quibus offenditur Deus, instituta sunt festa. Hortamur etiam omnes, vt diebus festiuis Cathedralem Ecclesiam frequentent, præsertim cum solemniter celebramus, vel sacras conciones habemus ad populum; & idem respectiuè dicimus de Matricibus, alijsque parochialibus Ecclesijs. Abusum verò in magnam animarum perniciem introductum, quòd viduæ, aliæque personæ pro charorum obitu mœrentes, aliquando per plures menses, & etiam per annum ab accessu Ecclesiæ, & audienda Missa abstineant, abolentes; omnibus huiusmodi præcipimus sub pœna soluendi rotulos cerę decem, & in subsidium excommunicationis, vt vltra mensem accedere ad Ecclesiam, & Missam audire non differant; declarantes nihilominus eas etiam intra præfatum mensem communi præcepto

Exod. 20. b

Cāt. Missas de cōs. d. 1. & c. omnes fideles.

cap. nulli cin um de cons. d. 3. & c. si quis etiam extra de cōs. Cōc. Trid. ses. 22. dec. de obs. in Missa.

Ecclesiæ teneri ad illam audiēdam, & peccare mortaliter quoties eas omittunt, Nosque pœnam adiecisse hac tantùm ratione, vt quamprimùm à graui hoc omissionis peccato declinent. Reliqua vt dictum est latius in edictis sunt expressa, ad quæ nos referimus, & quæ non minus quàm præsentes constitutiones vim obligandi habere decernimus, & declaramus.

DE BLASPHEMATORIBVS.

Tit. XXXI. Cap. I.

PEccata omnia inuisa esse Deo qui est summa puritas, nemo ambigit, sed summopere eidem displicere blasphemiam sacra Scriptura docet, cum pluribus locis ipsam detestetur, & pœnas grauissimas, etiam lapidationis, & mortis sanctissimum Dei nomen blasphemantibus comminetur; & quidem iustè, cùm minimè deceat paruulum vermen Deum altissimũ blasphemare, & hominem qui à Deo munificentissimo suscepit omnia, gratiarum vice blasphemias eidem rependere. Ad eliminandum igitur, & prorsus eradicandum tantũ scœlus, quòd Sancto Augustino affirmante, peius est quàm peierare, & cui vt inquit glossa, omne peccatum comparatum leuius est; monemus omnes, hortamurquè ad nomen Dei sanctificandum, & vt prorsus ab eo blasphemando abstineant. Quod si contra fecerint, sanctumque Dei nomen, Deiparæ Virginis eius Matris, nec non sanctorum blasphemare veriti non fuerint, aut quod peius est, hoc in consuetudinē duxerint, sciant quòd absque

Exod. 21. b *Leu. 24. c*

Glos. ad Eph. 4. & est S. Aug. li. 9. mēdacium c. 19. tom. 4. Gl. Isa. 28. ibi ad populum terribilem.

absque vlla personarum exceptione ad pœnas contra huiusmodi statutas, & præsertim constitutione fel. rec. Pij Papæ V. infligendas procedetur.

Cap. II.

NOn solùm sanctissimum Dei nomen blasphemare grauissimum peccatum est; verum etiam peccant omnes, qui peierant, qui vanè iurant, & quouis modo ipsum in vanum assumunt; etenim scriptum est, quòd non habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra; & iterum, non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, & licet Apostolo id affirmante, omnis questionis finis sit iuramentum, obseruandum nihilominus est, quòd Hieremias Propheta dicit, iurabitis in iudicio, in iustitia, & veritate. Vt igitur iuramento, quod sanctè exercetur præstemus obsequium Deo, eodemquè vanè, seù etiam falso assumpto, ipsum non offendamus, omnibus dicimus quod Christus dixit, nolite iurare omnino, idquè ea ratione, vt si quando iurandum est, non nisi requisitis, & debitis circumstantijs concurrentibus iuremus. Hortamur itaque omnes, vt in societatem Sanctissimi Dei Nominis iampridem in hac ciuitate erectam, sua nomina conscribi faciant, & toto pectore societatis instituta obseruare studeant, vt nedum pessimum blasphemiæ vitium, verum etiam peierandi; & quouis modo nomen Dei frustra assumendi eliminetur à nobis. Et ad gratias, indulgentiasque consequendas,

Exo. 20. b

Hebr. 6. c

Hier. 4. c

Matth. 5. e.

Pius IV. 5. Const. quæ incip. iniunctum, nobis. Gregor. XIII. Consti. quæ incip. alias per

quæ à summis Pontificibus huic societati concessæ fuerunt; volumus vt in posterum omnibus secundis dominicis singulorum mensium in Ecclesia Sancti Iacobi, in qua hæc societas est erecta, celebretur Missa cum oratione de nomine Iesu, & hora competenti fiat processio. Idem obseruari volumus per totam diœcesim, præcipientes omnibus Archipresbyteris, vt intra duos menses hanc Confraternitatem in suis Ecclesijs erigant, quas ideo volumus esse sine faccis, quia summopere optamus omnium nomina indifferenter in eis conscribi, & confratres esse.

DE CONCVBINARIIS.

Tit. XXXII. Cap. I.

DE Phineæs legimus, quòd ad aduertendā Dei vindictam ab Hebreorum populo, fornicariū qui eam concitauerat, zelo Dei ductus occidit. Quòd si vnum simplicis fornicationis peccatum tantū Deo displicuit; quid de frequenti concubinariorum vsu dicendum? Certè eo maiora, quò frequentius peccant, quinimmò in perpetuo peccati statu commorantur: & quod peius est, sæpè sæpius fornicationi adiunctum habent adulterium, vel etiam sacrilegiū. Quamobrem ad euitandam Dei iram, iuxta sacrosancti Concilij Tridentini decretum volumus concubinarios omnes tàm solutos, quàm coniugatos cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis sint, concubinas dimittere, & si ter moniti ab earum consuetudine se ipsos non seiunxerint, à sacramentorum, fide-

fideliumque communione arceri, nec absolutionis beneficium consequi posse, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Si verò excommunicatione neglecta per annum in ea insorduerint, nec moniti, semetipsos retraxerint; in eos nedùm tanquam concubinarios, verùm etiam Ecclesiasticarum censurarum contemptores, pœnis à iure, & præsertim Tridentina Synodo statutis, procedemus. Mulieribus autem, quæ monitę adhuc perseuerare ausę fuerint, præter prædictas poenas, alias etiam fustigationis, & exilij comminamur. De clericis verò in hoc delinquentibus satis superius diximus, ad quæ nos referimus.

DE LOCIS IN SYNODO ACCEPTATIS, SEV TRANSLATIS.

Tit. XXXIII. Cap. I.

ACceptamus, & intra terminos huius nostræ Hieracensis diœcesis contineri declaramus Casale Fabritiæ, nuper ab Illustrissimo Domino, Don Fabritio Carrafa Marchione Castri veteris, in centro montium ipsius Castriueteris, in loco qui dicitur delle Prunare, & ex ea parte qua flumen Alari decurrit, erectum, & ædificatum. Et vt valde commendamus præfati Domini Marchionis pietatem, qui ne homines pecudum, animaliumque more in montibus, & syluis latissimis errarent, eos in vnum colligere studuit; ita eundem hortamur, & in Domino requirimus, vt quamprimum operam adhi-

adhibere velit ad tot redditus subministrandos, qui sufficere possint vt ibidem Parochialis Ecclesia erigatur, rectorquè instituatur, qui animarum saluti in prædicto casali habitantium intendat.

Cap. II.

EX parte Blanci inter alia diœcesis loca, aderat Potamiæ terra posita sub ditione Illustrissimi Domini Sigismundi Loffredi Marchionis Bubolini, quæ ferè inaccessibilis erat, nec sine magno incolarum incommodo habitari poterat, præterquã quòd magna ex parte ruinam minabatur vnà cum mõte, super quem ædificata erat. His, alijsque ibidem habitantium necessitatibus, vt prouidus Dominus, populique sui amator occurrens prædictus Dominus Marchio in vberiori loco, saluberiorique cœlo terrã ædificauit sub inuocatione S.Lucæ, quæ ab oriente Adriaticũ mare respicit, à meridie flumen habet, quòd dicitur Potamię; ab Aquilone verò, & Occidẽte ab altissimis montibus ad quorum radices est posita, defenditur. In hanc cùm anno Domini 1592. Nobis annuentibus in festo eiusdem Sancti translatus fuisset populus, vnà cum Sacerdotibus, & Sanctissimis Sacramentis; nunc præfatam translationem approbamus, & in Ecclesiæ ipsius nouæ terræ, auctoritate nostra ordinaria si possumus, sin autem consensu Sedis Apostolicæ accedente, (quem statim vt opus esse cognouerimus, requirere procurabimus) redditus omnes, & iura Archipresbyteralis Ecclesiæ

Pota-

Potamiæ transferimus, & incorporamus. Nec non Reuerẽdum Abbatem Io: Baptiſtam Adamum Potamiæ Archipresbyterum, huius nouæ Eccleſiæ Archipresbyterum declaramus, cum omnibus alijs titulis, & honoribus, quibus in Potamię Eccleſia gaudebat. Faxit Deus, vt ſancti Lucę precibus, & meritis in dies augeatur, atque eius incolæ quietam ſemper, & tranquillam vitam agant, vnà cum Illuſtriſſimo Domino Marchione eorum patrono.

DE EXAMINATORIBVS, ET IVDICIBVS IN SYNODO DEPVTANDIS.

Capitulum primum.

SAcroſancti Concilij Tridentini decretis inhęrendo, opere pretium eſt examinatores deputare, tàm pro eis examinandis, qui nomina ad beneficia per concurſum obtinenda dabunt, quàm pro Sacerdotibus qui à ſacris confeſſionibus erunt, verbi Dei concionatoribus, nec non his qui minores, aut etiam ſacros ordines ſuſcepturi coram nobis pręſentabuntur. Ex his vocabimus modò plures, aliquando etiam pauciores, & ſemper ſaltem tres ad minus numero, prout rei, & negocij tractandi grauitas poſtulabit. Proponimus autem. *Seſſ 24. ca. 18. & ſeſſ. 23. c. 5. & 7. & c. 15.*

Admodum Reuerendum D. Abbatem Marcellum Malarby decr. doct. & Vicariũ noſtrum generalẽ.

Reuerendum D. Abbatem Philippum Galitiani V. I. D. huius Eccleſiæ Archidiaconum.

Reuerendum D. Abbatem Hanibalem Claremon-

tium Cathedralis nostræ Archipresbyterum.
Reuerendum D. Abbatem Petrum Mercurium, Magistrum Ceremoniarum.
Reuerendum D. Abbatem Carolum Creti V. I. D.
Reuerendum D. Abbatem Ioannem Cæsarem Curialem Vtriusque Iur. Doct.
Reuerendum D. Abbatem Petrum Thomam Balsium. Vtr. Iur. Doct.
Reuerendum Patrem Sacr. Theol. Magistr. Fr. Bernardinum Barbatanum Ord. Conuēt. S. Francisci.

Ex diœcesanis incipiendo à parte Castrieteris.
Reuerendum D. Abbatem Ioannem Baptistam Panormitam, Archipresbyterum Argypteriæ, sacræ Theologiæ doctorem.
Reuerendum D. Abbatem Ambrosium Candidam, Sacræ Theologiæ Doctorem.
Reuerendum D. Abbatē Simonē Angelettā V.I.D.
D. Abbatem Vincentium Manfrè, Archipresbyterum terræ Roccellæ.
D. Abbatem Petrum Manna Parochum.

Ex parte vero Blanci.
D. Abbatem Ioannem Iacobum de Medicis Archipresbyterum terræ Blanci,
D. Abbatem Consaluum Papacodomum Archipresbyterum Careríj.
D. Abbatem Ignatium Condarcudium Theologum, & Concionatorem.

Hi cùm acceptari debeant à vobis, vota vestra merito

ritò sunt audienda, vt cum vobis placuerint admittantur, sin autem, eorum loco alij subrogentur. Dicat igitur quilibet clara voce votum suum per verbum placet, vel non placet. Et cum respondissent omnes placet, admissi pariter omnes fuerunt.

DE IVDICIBVS.
Capitulum secundum.

EX eiusdem sacri Concilij decreto deputare debemus iudices, quibus causæ Apostolicæ sunt delegandæ. Proponimus autem. *cap. statutum de resc. 16. Sess. 25. c. 10.*

Admodum Reuerendum D. Abbatem Marcellum Malarby decretorum doctorem, & Vicarium nostrum generalem.
Reuerendum D. Abbatem Philippum Galitiam Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ. V. I. D.
Reuerendum D. Abbatem Carolum Creti. V. I. D.
Reuerendũ D. Abbatem Cæsarẽ Currialem. V. I. D.

Hi etiam cùm per vos acceptandi sint, sententias vestras quærimus, vt sciamus an vobis placeãt, nec ne. Et cùm ab omnibus responsum fuisset placet, singuli ex propositis, iudices declarati fuerunt.

DE PRAEFATIS SYNODI HVIVS CONSTITVTIONIBVS.
Tit. XXXIV. Cap. I.

HActenus de presentis Synodi constitutionibus, & decretis, non quidem ea ratione, vt omnia

quæ pro morum reformatione, vitiorumq; extirpatione proponi possent, dicta sint; sed potius quòd cũ (Deo dante) alias Synodos statutis à iure tẽporibus habituri simus, minimè iudicauimus omnia vno verbo absoluenda, & magno, grãdique cibo assumpto, infirmas vires debiliores reddere. Hæc verò quæ proposuimus, sũmopere optamus obseruari ab omnibus, executioniquè demandari; nec enim tot expensis, laboribus, itineribus, molestijs Synodum coegimus, vt decreta conscripta remaneãt in folijs, haud tamen operibus adimpleantur à nobis; frustraquè ad inobedientes comprimendos appositæ fuissent pœnæ, nisi Synodalium decretorum obseruantia requireretur. Iustos siquidem Apostoli dicto lege non indigere scimus, & quòd bona faciant virtutis amore proprium ipsorum est. Volumus tamen hæc omnia iudicio, & correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eiusque summi Pontificis Christi Domini nostri Vicarij subiacere, vt ne minimum quidem deflectamus à regula, & à recta aberremus via.

1.Tim.1.b.

Cap. II.

SI quid his constitutionibus omissum fuerit, aliàs in generali Visitatione, vel particularibus edictis decretum, haud volumus hac ratione legis vim non habere, & de cætero nobis subiectos ad ea obseruanda non teneri. Sed omnia aliàs à nobis, vel à generali Vicario nostro mandata, dummodo huius Synodi constitutionibus non sint contraria, in suo

volu-

volumus robore, & virtute manere, etiam quo ad poenas in transgressores appositas. Poenas neminem subire vellemus, & multo minus errare, si quos verò contigerit delinquere, æquum etiam erit poenas luere. Quas vt de iure debetur, locis pijs, Cathedralis Ecclesiæ, & sacristiæ reparationi, & ornamento applicabimus. Nec eas tantùm exigemus poenas, quæ in decretis sunt expressæ, sed alias à sacris canonibus impositas pro delictorum, & personarum qualitate. Tandem decernimus propter celebratam Synodum, minimè nobis præclusam esse viam, aut ligatas manus alia statuendi, decernendi, prohibendi, provt loci, & temporis ratio, casuumquè obuenientium necessitas postulabit. Quæ verò his decretis continentur, post mensem ab impressione, & distributione præsentis Synodi, omnes obligare volumus. Sequens Synodus celebrabitur hac eadem dominica sequentis anni, nisi in aliud magis opportunum tempus eam tranferri contigerit.

DE ORDINE IN CELEBRATIONE SYNODI OBSERVATO.

Tit. XXXV. Cap. I.

CVm ex omnibus anteactis Dioecesanis Synodis Hieracensibus, hæc prima sit, quæ impressioni mandatur, non ab re erit ordinem, qui in ea celebranda seruatus fuit, publicè omnibus ad eam spectantibus referre, vt in posterum singuli sciant

quid ipsis faciendum erit; & facilius congregari possit Synodus iam decreto ordine, quo forsan factum est, vt paucæ admodum Synodi ab antecessoribus nostris habitæ sint. Die igitur antecedente inchoationem Synodi publicatum fuit edictum de præcedentia, nonnullisq; alijs in Synodo obseruandis, quod habetur in archiuio Hieracen.

Die sequenti, qua initium Synodo dandum erat, summo mane Illustris, & Reuerendissimus D. Episcopus cappa pontificali indutus, Capitulo, & Clero comitante descendit in Ecclesiam, & Sanctissimo Sacramento adorato, processit ad solitum locum suæ residentiæ, ibique paramentis sumptis, prout in Pontificali habetur, iterum publicatum fuit edictum Synodi, & inchoata Missa de Spiritu sancto per Reuerendum D. Abbatem Narcisum Panettam Cathedralis Ecclesiæ Decanum. Cantato Euangelio, idem Reuerendissimus D. Episcopus sermonem solemnem habuit ad populum, in quo diserte admodum, multa de Christo Pastore, suisque ouibus disseruit; deinde facta de more absolutione, fuit finita Missa. Et his obseruatis ceremonijs, quæ in Pontificali habentur, omnibus in suis locis residentibus, incepta fuit lectio Synodalium Constitutionum per DD. Antonium Lucissam, & Iacobum Cerattum alternatiuè, qui deputati fuerunt in Synodi Secretarios. Cum vero lectum fuisset plus quàm per horam, citati fuerunt absentes, facta protestatione quòd per totã sequentẽ diem comparent, nisi vellent pœnas in edicto propositas subire, & dimissa fuit sessio.

Post

Post vesperas solemnes, quibus præsens fuit idem Reuerendiss. D. Episcopus cum suo clero, habitus fuit sermo per Excellen. D. Iosephum Raneriu͂, Seminarij Hierac. ludi magistrum deinde prosecuta fuit lectio vt supra vsquè ad vigesimam secunda͂ horam illius diei. Alijs autem horis suscepti fuerunt supplices libelli, & auditæ controuersiæ, & lites quæ suboriebantur, & successiuè pro rerum, & personarum qualitate terminatæ, & decisæ.

Sequenti mane descensum fuit in Ecclesiam more solito, & cantata Missa per Reuer. D. Abbat. Petrum Manna Vicarium foraneum ex parte Castriueteris; habitusquè sermo per Reu. D. Ioannem Iacobum de Medicis Archipresbyterum Terræ Blanci, præcibusquè, & suffragijs recitatis post Missam, quæ in Pontificali habentur, facta fuit processio solemnis ab omnibus sodalitatibus, regularibus, & Clero, qui totus sub vna Cruce, & eo ordine qui dispositus fuerat in Edictis, incessit cum silentio, & deuotè, absq; eo quòd vllus repugnaret, aut quouis pacto reniteret. Et finita processione data fuit benedictio solemnis, & publicatæ indulgentiæ. Post vesperas subsecuta fuit lectio vsque ad horam competentem.

Die tertia fuit cantata Missa per Reu. D. Abbatem Iacobu͂ de Medicis Archipresbyterum Terræ Blanci, & habitus sermo à Reu. D. Abba. Ambrosio Candida Sacræ Theologiæ Doctore, & his ritibus obseruatis qui in Pontificali mandantur, prosecuta fuit lectio ferè vsque in finem. Post Vesperas solemnes finità fuit lectio, & mandatum omnibus vt se sub-

scri-

scriberet, provt propria manu se subscripserunt omnes Synodo præsentes, & pro absentibus eorundem procuratores, hoc facto, reliquis omnibus, qui vel per se, vel per procuratorem non comparuerunt, fuit per promotorem fiscalem accusata pœna, & impositum eidem vt eam exigeret; mandatumquè fuit D. Ascensio, & Iulio Appollonio Curiæ Episcopalis Actuarijs, vt nomina eorum, qui se subscripserunt vnà cum Synodi constitutionibus in archiuio diligenter, & fideliter asseruarent. In fine sumptis per Reuerendissimum D. Episcopum solitis paramentis, & Mitra, omnibusquè per eundem requisitis, an Synodo finis imponendus esset, & respondentibus quod sic, factæ fuerunt ordinariæ acclamationes omnibus coràm Altari genuflexis. Deince incepto Te Deum laudamus, per ambitum Ecclesiæ procedendo, reduxerunt eundem Reuerendissimum D. Episcopum in Palatium suæ residentiæ, qui Synodo benedicta dimisit omnes in pace.

LAVS DEO.

Haec Synodus Bonardi primo edita fuit Romae
Nicolaii Muti 1598 in 12° pag. 266. = et Tomo
[illegible] pag. 349 = et [illegible]
[illegible]
Synodus prima Hieracensis sub Anno [illegible] et Anno
8.[illegible] Vincentio Bonardo [illegible] Civitatis Epo.